AD PHILIPPI LAVRENTII DIONYSII OPVS
DE VATICANIS CRYPTIS
APPENDIX
IN QVA NOVA CRYPTARVM ICHNOGRAPHICA TABVLA
ADIECTIS NOTIS INLVSTRATVR

AVCTORIBVS

AEMILIANO SARTI

ET

IOSEPHO SETTELE

IN ROMANO ARCHIGYMNASIO PROFESSORIBVS



Veteris vaticanae basilicae frons e grimaldiani codicis fol. 4.

ROMAE

TYPIS IOANNIS FERRETTI

ANNO M . DCCC . XL

ΧΑΛΕΠΟΝ ΑΝΘΡΩΠΟΝ ΟΝΤΑ ΜΗ ΔΙΑΜΑΡΤΑΝΕΙΝ ΕΝ ΠΟΛΛΟΙΣ; ΤΑ ΜΕΝ ΟΛΩΣ ΑΓΝΟΗΣΑΝΤΑ, ΤΑ ΔΕ ΚΑΚΩΣ ΚΡΙΝΑΝΤΑ, ΤΑ ΔΕ ΑΜΕΛΕΣΤΕΡΟΝ ΓΡΑΨΑΝΤΑ.

Γαληνὸς ἐν τῷ περὶ συνθέσεως φαρμάκων τῶν κατὰ τόπους βιβλίῳ β.

SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO

GREGORIO XVI.

PONTIFICI MAXIMO

ANTONIVS MATTEVCCIVS

ADIVTOR SACRI CONSILII AD TEMPLVM ATQVE OPERA VATICANA CVRANDA

Si quod unquam opus ad vaticanam basilicam quoquo modo pertinens, romano pontifici, beati Petri apostolorum principis successori, Iesu Christi vicario, inscribendum fuit; hoc certe, quod nunc, beatissime Pater, tibi sistitur, tanto honore dignum censebunt aequi omnes harum rerum aestimatores. In eo namque, praeter accuratam singularum hypogei vaticani partium ichnographiam atque orthographiam, vetera quaedam nuper inventa, atque in cryptis conlocata monumenta inlustrantur. Inter quae primum non dubie locum obtinent scripti illi lapides, qui ex cryptarum pavimento quatuor

ante annis prodierunt, ac potissimum in caussa fuere, ut haec Appendix ad Dionysii opus conficeretur. Et sane ut de Bonifacii II., Gregorii magni, Sabiniani, et Hadriani II. romanorum pontificum epitaphiis heic sileam, quorum fragmenta vel neglecta, vel non agnita hucusque in vaticanis cryptis delituerant; nonne maximo in pretio habendum erit fragmentum illud marmoreae tabulae, in quo initium chartulae continetur, qua saeculo XI. ineunte clarissima ac piissima matrona Mathildes omnia sua bona romanae ecclesiae dedit, donavit? Neque vero minoris faciendum est fragmentum alterum, quod ordinarios consules anni vulgaris aerae centesimi prodit, de quibus magna inter chronographos hactenus exstitit controversia. Sacrae praeterea Confessionis ichnographiam, ac vetustissimam Christi salvatoris imaginem in parva eius abside musivo opere depictam, dum in hisce tabulis, beatissime Pater, diligenter

delineatam contemplaberis, minime dubito quin gratissimum id tuo futurum sit animo: quum et venerandi illius loci sanctitatem animo recolam, et tuum in omnigenis sacrae antiquitatis monumentis vel instaurandis et exornandis, vel ab interitu vindicandis singulare studium plurimis, iisque luculentissimis testatum exemplis cognoscam. De quo longiorem apud Beatitudinem tuam sermonem instituere heic supersedeo, cum et ipsae per se res loquantur, neque animi tui modestia id facile patiatur; quem benevolum semper mihi propitiumque, uti hactenus expertus sum, exopto dum ad sanctissimorum pedum oscula procumbens apostolicam benedictionem imploro.

PRAEFATIO

I. Cum librum, in quo sacrarum vaticanae basilicae cryptarum monumenta erudito commentario Philippus Laurentius Dionysius inlustravit, requiri passim a multis, et rara admodum iuventu eius exemplaria esse animadverteret vir amplissimus, quem honoris caussa heic nominamus, CASTRVCCIVS CASTRACANE S. R. E. presbyter cardinalis, dum sacrae illius Congregationis a secretis esset, cuius curae vaticani templi aedificium commissum est, atque *oeconomi*, ut vocant, munere summa cum laude fungeretur; is nulla interposita mora, anno MDCCCXXVIII. opus typis iterum imprimendum curavit.

Quoniam vero post primam eius editionem nonnulla in vaticanum hypogeum inlata fuerant sacrae antiquitatis monumenta, quae in effodiendis novi sacrarii fundamentis reperta nullo alio in loco aptius, quam in basilicae cryptis conlocare visum fuit; haec tabulis aeneis incisa, atque aliquo commentario inlustrata, appendicis loco novae editioni adiicere necessarium erat, ne mancus quodammodo et imperfectus in lucem liber prodiret. Quod ut praestandum susciperemus, pro singulari erga nos studio, petiit a nobis illustrissimus Praesul NICOLAVS PARACCIANIVS CLARELLIVS, cui deinceps *oeconomi* munus fuerat delatum, cum absoluta iampridem dionysiani operis impressio fuisset. Huic oneri lubenter ea potissimum de caussa successimus, quod pulcherrimam nobis ultro offerri occasionem videremus eius impetrandi, quod animo iamdudum agitabamus. Hoc nempe unum in votis erat, ut singula pavimenti cryptarum saxa invertere nobis liceret, atque inde amovere quaecunque sive scripta sive sculpta esse deprehenderentur. Aliquot enim abhinc annos curiosis pavimentum omne oculis lustrantes, litteras quasdam in duobus marmoreae tabulae frustis inscriptas legeramus, quas ad epitaphium beati *Gregorii magni* pertinere statim agnovimus; fragmentum praeterea ex epitaphio *Bonifacii* papae II. ibidem exscriptum in schedis nostris adservabamus, nec non insignem quamdam a nemine hactenus lectam inscriptionem, in qua *Damasi* nomen occurrit. Ea videlicet nobis spes erat, fore ut vel novae aliquae inde prodituraе essent inscriptiones, vel eae saltem possent compleri, quae mutilae in cryptis exsistunt. Acres huic desiderio stimulos addebat Turrigius, qui tam multas in veteris basilicae pavimento inversas epigraphas a se detectas refert. Cum autem *Hadriani* II. epitaphium fere totum ex fragmentis a se invicem antea divulsis, a nobis vero simul coniunctis, primi omnium restituissemus, facile futurum putabamus, ut reliquae etiam eius partes invenirentur. Quae omnia simul ac Praesuli clarissimo indicavimus, votis ille nostris adnuere non dubitavit, neque frustra spem a nobis conceptam confestim sensimus. Inter multa enim veteris basilicae sculpta marmora, quae reperta fuerunt, non parvi certe momenti habenda sunt ea inscriptionum fragmenta, quae indidem prodie-

runt; euiusmodi est, ut cetera omittamus, initium donationis comitissae *Mathildis*, et praeclarum illud marmor (*a*), ex quo nunc primum certo scimus *Sextum Iulium Frontinum*, non vero *M. Cornelium Frontonem*, ordinarium consulem anno urbis conditae DCCCLXI. una cum Traiano processisse. Neque in hoc dumtaxat clarissimus vir nobis indulsit, sed et aeneam Innocentii III. cratem, quae ante beati Petri confessionem est, totam detexit; cum a Pauli V. usque aetate, improvido artificum consilio, partes eius extremae laterent, neque verba iis inscripta legi ullo modo possent. Novam praeterea ex integro tabulam ichnographicam suasu nostro delineari praecepit, quae *veram* nunc primum, et *accuratam* vaticani hypogei ichnographiam sistit, ut facile cuivis patebit, qui eam cum praecedentibus conferre voluerit. Tot denique alia, sive ad loci ornatum, sive ad aptiorem rerum, quae inibi confusae erant, dispositionem praestitit, ut vaticanas cryptas, priori squalore deposito, novo quodam et insolito splendore per eum nitescere non immerito quis dixerit. Cui plurimum idcirco universos, sacrae praesertim antiquitatis studiosos, hoc nomine debere, nemo aequus harum rerum aestimator negabit.

II. Quas *vaticanas cryptas* dicimus, eae nihil aliud sunt nisi concameratum hypogeum, quod basilicae pavimento subest. (Vide Appendicis tab. II.) Cum enim nova exstrui coepta est basilica, placuit eius pavimentum in tantam adtolli altitudinem, ut ad absidis, sive (quod idem est) ad veteris presbyterii solum adsurgeret. Quo factum est, ut sacra confessio C., quae in veteri ecclesia presbyterio quidem suberat, verum in uno eodemque plano cum transversa navi sita erat, novae basilicae pavimento APQB. nunc depressior exsistat. Vnde etiam patet, substructis fornicibus templi superioris pavimentum ubique sustineri, quousque basilica vetus pertingebat; quamquam non omnes hypogei partes adiri nunc possint, sed illae tantummodo, quarum ichnographiam in tabula I. exhibemus. Reliquum omne hypogeum humo et saxis temere illuc adgestis repletur, quemadmodum compertum est nuper, detecto per nos et aperto ostio M., quod in tabula ichnographica in extrema boreali navi duplici asterisco post numerum 162. designatur.

Iam inde a Pauli V. aetate mos obtinet, ut cryptarum aliae *novae* adpellentur, aliae autem *veteres*. Et *novae* quidem *cryptae* sunt semicircularis illa cryptoporticus, quae sacram confessionem ambit, quaeque eodem per circuitum muro terminatur, quo veteris basilicae absis: *veteres* autem *cryptae* vocantur reliquae hypogei partes, medianae templi superioris navi subiectae, in tres et ipsae naves duplici pilarum ordine distinctae, quae *novae* potius essent dicendae, cum in veteri basilica nullae omnino fuerint. Cryptarum veterum pavimentum, quanto longius eae a sacra confessione recedentes ad templi frontem accedunt, tanto semper magis deprimitur, adeo ut ante altare borealis navis N. (vide Appendicis tab. II. num. 1.) palmo uno superet planum liminis ostii M. in Ω. Ceterum adeo notum est, in antiquis christianorum basilicis pavimentum a fronte earum absidem versus adsurgere, ut exemplis id confirmare supervacaneum videatur.

Cryptarum ichnographiam primus, quantum quidem sciamus, Benedictus Dreius, fabricae operarius, aere incisam edidit Romae anno 1635. (*b*) Haec autem archetypum est, ex quo omnes expressae deinceps fuerunt vaticani hypogei tabulae ichnographicae, quotquot in lucem hactenus prodierunt, paucis dumtaxat, iisque non magni momenti rebus subinde immutatis. Quod manifestum fiet primo statim intuitu cuilibet, qui earum singulas cum illa contulerit: nam et eam, quam Ciampinius vulgavit anno 1693. (*c*) et

(*a*) Vide Appendicis tabulam XX.
(*b*) Pianta delle grotte vaticane. Rom. 1635. presso Gio. Iacomo de Rossi alla Pace.
(*c*) De sacris aedificiis a Constantino magno constructis, tab. XXV.

alteram a Carolo Fontana editam anno 1694. (*a*), nec non illas, quae apud Bonannium (*b*), et Dionysium occurrunt, adeo sibi invicem ad unguem similes deprehendet, ut omnes ab eodem fonte derivatas vel invitus fateri cogatur. Cum vero minus accurate archetypa illa in tabula eae potissimum hypogei partes exhibeantur, quae circa sacram confessionem sunt sitae, idemque proinde vitium in ceteris quoque insit, *nova* propterea ex integro *ichnographica tabula* nuper delineata fuit, in qua verus partium singularum situs per mensuras diligentissime deprehensus repraesentaretur, atque omnia suis apte locis monumenta disposita, numeris additis, designarentur. Cui aliam quoque clarissimus Praesul adiectam voluit tabulam, quae *duplicem* cryptarum *orthographiam* exhiberet; quod eur a Dionysio in opere suo praestitum non fuerit, valde semper mirati sumus.

III. Ordo, quem in hac Appendice servandum nobis proposuimus, longe alius est ab eo, quo Dionysius in suis commentariis est usus. Ille enim tabularum seriem sequutus singula in singulis tabulis comprehensa monumenta inlustravit, quae pro artificis lubitu ita plerumque sunt disposita, ut monumenta diversis in locis sita in una eademque tabola simul fuerint coniuncta. Nobis vero cum in hac Appendice id praecipue propositum sit, ut novam cryptarum ichnographicam tabulam, nostra maxime opera nuper confectam, notis additis inlustremus, initio a divae Veronicae aditu facto, singula in cryptis monumenta adpositis rubricatis numeris insignienda curavimus, at in iis inlustrandis eumdem, quo ibidem occurrunt, ordinem sequuti sumus. Quoties igitur aliquid a Dionysio vel praetermissum, vel secus, quam oportet, explicatum fuerit, sedulo id adnotamus; quaeque in cryptas inlata fuerunt subsecutis temporibus monumenta breviter pro viribus inlustrare conamur.

Atque heic monitos lectores volumus quaedam cryptarum parietibus adfixa exstare picturarum fragmenta, quorum nullam habuimus rationem, quod et recentia sint, et (si unum vel duo exceperis) artificii non valde probandi; tum etiam quod penitus ignoretur quidnam repraesentent, atque unde illuc fuerint adlata. Falsum enim plane esse diligenti ac iterata saepius observatione comperimus, quod in basilicae descriptione Romae anno 1828. edita traditur, pertinere scilicet fragmenta haec ad tabulas, quibus beati Petri martyrium, ac matrona Tabitha ad vitam ab apostolorum principe revocata repraesentatur.

IV. Atque haec de methodo sint a nobis dicta, quam in hac Appendice adhibituri sumus. Quod autem ad libros adtinet manuscriptos, qui monumenta in cryptis adservata quunnque modo inlustrant, et ex quibus aliqua in hoc nostrum opus derivavimus, hi potissimum sunt:

a. Alpharani in primis manuscriptus liber, qui in archivo basilicae exstat, littera G. 6. notatus, quem sedulo totum perlegimus, ut inde quidquid in rem nostram facere videbatur excerperemus. Titulus, quem liber prae se fert, huiusmodi est „ *Tiberii Alpharani hieracensis de sacrosanctae basilicae beati Petri apostolorum principis in vaticano urbis sitae antiquissima, et nova structura liber. Ad sanct. dominum nostrum Gregorium XIII. pontificem optimum maximum.* „ In eo de singulis veteris basilicae monumentis fuse auctor disserit, quae paucissimis tantum verbis in ichnographica illa basilicae tabula designantur, quam ipse Romae anno 1590. aere incisam vulgavit. Hanc Alpharani tabulam iterum edendam, atque una cum nostrae Appendicis tabulis coniungendam necessario duximus, quia et Dionysius in opere suo saepe eius meminit, et a nobis quoque idem fiet, quoties cuiuspiam vel altaris, vel monumenti situm indicare oportuerit.

(a) Descriptio templi vaticani.

(b) Numismata summorum pontificum templi vaticani fabricam indicantia, Rom. 1700.

Sunt praeterea in basilicae archivo miscellaneae quaedam eiusdem Alpharani schedae littera G. 5. notatae, quas etiam attente inspicere non omisimus, eum in eis non pauca scitu digna habeantur, quae frustra alibi quispiam quaesiverit. Titulum autem huiusmodi praefixum habent. „ *In questo presente libro sono raccolti insieme, et legati diversi fogli, et quinterni scritti da me Tiberio Alfarano ricavati da proprii originali di libri, pietre, marmi, et altri ricordi de voce viva della chiesa di san Pietro. Havuti dal Rev. M. Gioe. Herculano, et da altri, come si vede.* „

b. Verum inter ceteros archivi libros, in quibus multa ad veterem basilicam pertinentia continentur, non infimo sane loco censendum est vetus in membrana Martyrologium, quod littera H. 56. insignitur. Quo tempore, et a quonam exaratum fuerit non liquet; hoc unum certe constat, fuisse in basilicae usum ante Bonifacii VIII. aetatem descriptum, cum in eo posteriori manu pontificis ipsius obitus III. eidus octobris adnotetur, et pridie nonas maias dedicatio altaris sancti Bonifacii, quod in vaticana basilica ab eodem pontifice exstructum, et consecratum fuisse notum est. Huius porro martyrologii apographum longe auctius et copiosius confectum sumptibus Christophori Maronii S. R. E. cardinalis, et basilicae archipresbyteri, qui obiit anno 1404. nonis decembris, exstat in eodem archivo littera H. 57. insignitum. De quo apographo in manuscripto libro Alpharanus ad numerum 78. haec habet. „ *Sepulcrum e marmore pario elegantissimum Christophori Maroni romani, episcopi iserniensis, S. R. E. cardinalis tituli sancti Cyriaci in thermis, et huius basilicae archipresbyteri benemeritissimi, qui* fecit fieri magnum, et copiosum martyrologium *cum inscriptione omnium huius basilicae benefactorum.* „ Eadem in schedis rursus pag. 20. tradit, cum sepulcri illius demolitionem narrat. „ *Fora de questa cappella* (sancti Thomae videlicet) *nella pariete della chiesa per venire verso l'altare de san Gregorio vi è il sepolcro de Christophoro cardinale, et arciprete de san Pietro degnissimo, quale* fece fare il bellissimo martirologio *de san Pietro con molte cose memorande di exequii, et sepulture: il sepolcro è de marmo in alto co' gli arme, et questi versi.* (*a*) *Ma l'anno 1578. volendosi far una strada nova per intrare in sacristia, atteso quella vecchia si buttava per terra per fare i fondamenti della chiesa nova, in questo loco della sepoltura fu fatta una porta, et la sepoltura portata via, ma no il corpo del cardinale.* „ Ne quis autem confusioni locus sit, obiter heic monemus, utrumque martyrologium modo *Necrologium,* modo *Benefactorum librum* passim adpellari, quippe quod singulorum nomina contineat, qui basilicae dona quaelibet obtulerunt, et quo quique die obiarint per anni circulum adnotet.

c. Neque vero insignis quidam in eodem archivo codex a nobis praetereundus erat, qui multas veteris basilicae partes et monumenta delineata exhibet. Hunc quanta maxima potuimus diligentia totum excussimus, ut pleniorem inde et elariorem, si fieri posset, rerum notitiam hauriremus. De quo paucis haec accipe. Cum veteris basilicae pars orientalis sub Paulo V. diruenda esset, supplex pontifici libellus exhibitus fuit, qui in archivo vaticano adhuc exstare fertur (*b*), in quo id enixe a pontifice petebatur, ne in demolitione omnia penitus misceri et confundi pateretur, quemadmodum sub Iulio II. factum pessimo consilio fuisse universi dolebant. Quod facile a providentissimo pontifice est impetratum: statim enim mandavit, ut quaecunque supererant, singulae veteris basilicae partes accurate delinearentur. Haec diagrammata foliis numero XLI. comprehensa, atque in unum volumen nulla numeri nota insignitum compacta in basilicae archivo adservantur. Quibus Iacobus Grimaldius multis in locis adnotationes quasdam sua manu adscripsit, unde factum est, ut vo-

(*a*) Hos vide apud Ciaconium tom. II. pag. 708., et apud Cancellierium de secretariis basilicae vaticanae, pag. 878.

(*b*) Videsis Cancellierium fusius pag. 1303. laudati operis haec narrantem.

lumen istud vulgo *Grimaldii codex* vocetur, a quo haec in tertio folio adnotata occurrunt. „ *Huius libri annotationes, atque memorias scripsi ego Iacobus Grimaldus vaticanae basilicae clericus beneficiatus, sanctae Mariae in porticu indignus canonicus, olim dictae basilicae archivista, manu propria.* „ Postremo autem folio in hunc modum subscripsit. „ *Haec omnia notavit Iacobus Grimaldus pro veritate, et memoria futurorum.* „

Porro cum nulla alia usquam inveniantur diagrammata, quae veteris basilicae partes ullas delineatas repraesentent, maximo in pretio huiusmodi codicem habendum esse hac de caussa nemo non videt. Atque utinam singula accuratius, pro tanti pontificis mente, atque eruditorum hominum voto, fuissent expressa! Haberemus enim ipsam principem in toto orbe basilicam hisce in paginis studiosorum oculis quodammodo et contemplationi subiiciendam. Sed malo quodam contra obnitente fato contigit, ut opus illud, sive oscitantia, sive artificis imperitia, seu nimia forsitan festinatione properatum, adumbrationem potius, et quaedam quasi simulacra rerum, quam res ipsas graphice ac geometrice descriptas exhibeat. Quod facile quivis agnoscet, ubi codicem manu tractaverit, nosque ipsi deprehendimus, cum quaedam in cryptis adhuc exstantia monumenta cum codicis diagrammatis contulimus. Quae omnia diagrammata, etsi non valde accurate expressa, in libro *de sacris aedificiis* Ciampinius vulgavit, cui hoc titulo (utcunque tandem id praestiterit) grates habendae.

d. Exstat praeterea quoddam in eodem archivo Grimaldii manuscriptum opusculum, in quod omnia ad sacrosanctum sudarium ac lanceam pertinentia vir ille diligentissimus congessit, quaecumque uspiam dispersa reperit de tabernaculis, sive ciboriis, quae ad reliquias illas adservandas a Ioanne VII., et ab Innocentio VIII. fuerant exstructa. Huiusmodi autem titulus praefigitur huic manuscripto, qui littera H. 3. signatur. „ *Opusculum de sacrosancto Veronicae sudario, ac lancea, quae salvatoris nostri Iesu Christi latus aperuit, in basilica vaticana maxima veneratione asservatis, editum per Iacobum Grimaldum eiusdem basilicae clericum beneficiatum anno domini MDCXVIII.* „ Hoc non contemnendum profecto opusculum consuluimus, ea praesertim de caussa, quod ciborii utriusque schemata contineat, quorum nonnulla in cryptis adhuc supersunt fragmenta.

e. Neque hos tantummodo manuscriptos libros in basilicae archivo tractavimus, sed et vaticanae bibliothecae opes praesto nobis fuerunt. Cum enim autographa duo eiusdem Grimaldii opera inedita inter vaticanos codices adserventur numeris 6437., ac 6438. notata, ea quoque necessario inspicienda duximus. Horum uni titulum auctor huiusmodi fecit: *Liber canonicorum basilicae sancti Petri, qui summi pontifices et cardinales fuerunt*; alterum vero ita inscripsit: *Instrumenta antiquissima a corticibus arborum, et membranis descripta anno domini MDCXVII.* „

f. Onuphrii denique Panvinii *schedas*, nec non *manuscriptum opus* in vaticana bibliotheca adservatum perlegimus, cui titulus huiusmodi praefigitur. „ *De rebus antiquis memorabilibus, et praestantia basilicae sancti Petri apostolorum principis.* „ De quo id monendum ducimus, fuisse exaratum manu trium bibliothecae vaticanae scriptorum, Iacobi nempe Vincentii Marchesii, Laurentii Morosinii, et Ioannis Matthaei Naironii, qui cum Panvinii schedas, lectu difficiles, ipsi latinae linguae parum periti exscribendas, et in ordinem redigendas suscepissent, non paucis totum opus mendis deturparunt.

V. Hactenus de manuscriptis libris, quorum maxime ope adiuti fuimus: inter editos autem libros Torrigii prae ceteris ad manum opus habuimus, cui titulus *Le sagre grotte vaticane.* Hoc perexiguae admodum molis prodiit primum Viterbii

anno 1618., deinde vero secunda parte, eaque copiosissima, auctum Romae typis ter impressum fuit, anno videlicet 1635., 1639., ac 1675., quam postremam praestantissimi operis editionem ignoravit Dionysius. Ciampinii quoque libro *de sacris aedificiis a Constantino magno constructis* usi sumus, ad quem lectorem amandabimus, quotiescunque de iis veteris basilicae ciboriis, vel sepulcralibus monumentis erit sermo, quorum fragmentum aliquod in cryptis exstet: grimaldiani enim codicis schemata, uti supra monuimus, Ciampinius in sui operis tabulis repraesentari curavit. Cancellierii denique doctissimi viri, atque urbicarum praecipue rerum peritissimi, opus *de secretariis basilicae vaticanae* consuluimus, eiusque narratione ac testimonio utimur, cum reperta in veteris sacrarii demolitione monumenta inlustramus.

Habes, erudite lector, quid a nobis praestitum sit, ut in hac Appendice monumenta nunc primum reperta, vel a Dionysio praetermissa in lucem proferremus, quaeque ab eo perperam edita et explicata essent emendaremus. Quantum vero taedii ac laboris adferat, et quam ingratum sit aliorum errores refellere, iis maxime, qui ad alia properant, et nova proferre potius, quam vetera emendare in animo habent; nae ille facile noverit, qui hoc aliquando invitus praestare fuerit coactus. Quare si quid minus recte scriptum aut dictum inveneris, hoc aequi bonique consulas rogamus, id scilicet tecum ipse reputans, ingenium nobis, non vero alacritatem ac studium defuisse.

NOVAE ICHNOGRAPHICAE TABVLAE

SACRARVM VATICANAE BASILICAE CRYPTARVM

EXPLICATIO.

A. *Vnus ex quatuor sacrarum cryptarum aditibus, cui nomen a sancta Veronica.*

a. *Sacellum, et altare s. Veronicae.*

1. *Inscriptio de vaticanis cryptis a Benedicto XIV. restauratis.*

2. *S. Iacobi minoris statua.* Dionysius TAB. X. num. 2.

3. *Christi nominis monogramma in marmorea tabula insculptum.* Dion. TAB. I. num. I.

B. *Aditus ad sacellum Christo Salvatori dicatum.*

4., 4. *Angeli duo marmorei, qui ad monumentum Berardi card. Heruli pertinuerunt.* Dionysius TAB. II. num. 2., 3.

5. *Polyandrium, in quo multa christianorum ossa reposita sunt sub pavimento reperta, dum novi templi fundamenta iacerentur.*

b. *Altare, in quo anaglyphum est Christi Salvatoris effigiem exhibens.* Dion. TAB. II. num. I.

C. *Aditus ad sacellum beatae Mariae virginis, quae* a porticu, *atque etiam* a febribus *nuncupatur.*

6. *S. Matthaei apostoli statua e Nicolai papae V. monumento.* Dion. TAB. XX. num. I.

7. *Christiani cuiusdam nomine Constantii sarcophagus cum inscriptione.* Dion. TAB. III. num. 5.

8. *Parastades tres affabre sculptae, quae in sacello Ioannis papae VII. erant.* Dion. TAB. III. num. I., 2., 3.

9. *Sarcophagus nulla inscriptione notatus.* Dion. TAB. III. num. 4.

* *Sepulcra duo sub pavimento nuper detecta, cuiusmodi quamplurima in tota basilica exstitisse notum est.*

10. *Tabula marmorea, quae fragmentum continet actorum synodi a Gregorio papa III. in vaticana basilica habitae.* Dion. TAB. IV.

11. *Crux musivo opere.* Dion. TAB. XVI. num. 2.

12. *Marmorea tabula praecedenti similis, qua fragmentum aliud synodalis decreti Gregorii papae III. continetur.* Dion. TAB. V.

13., 13. *Lapides, super quos beatae Virginis imago saxo percussa sanguinem effudisse fertur.* Dion. TAB. IX. num. 2., 3., 4.

c. *Altare, in quo beatae Virginis imago est a Simone Memmio depicta: hinc inde angeli duo marmorei, qui monumentum card. Heruli ornabant.* Dion. TAB. VI.

14. *Benedicti papae XII. statua.* Dion. TAB. VII.

15. *Inscriptio de vaticanae basilicae tecto a Benedicto XII. renovato, quae praecedenti statuae eius adposita olim erat.* Dion. TAB. VIII. num. 2.

16. *Divi Petri sedentis marmorea statua, cui binae utrinque columellae adiectae sunt, musivo opere ornatae, quae in monumento Vrbani VI. fuerunt.* Dion. TAB. IX. num. I.

17. *S. Ioannis apostoli statua e Nicolai V. monumento.* Dion. TAB. XX. num. 2.

18. *Marmorea crux, quae in vertice frontis basilicae veteris fuit.* Dion. TAB. I. num. 2.

19. *Musivum opus Christum exhibens medium inter apostolorum principes: erat olim in monumento Othonis II. imperatoris.* Dion. TAB. X. num. I.

D. *Australis aditus ad confessionem beati Petri, cuius ostium parastades duae ornant, eleganti opere sculptae, quae in sacello Ioannis VII. fuerunt.* Dion. TAB. I. num. 3., 4.

E., E. *Area ante sacram confessionem, sub cuius pavimento variis ac pretiosis*

marmoribus strato, multa sanctorum corpora requiescunt.

In hanc aream (quae nullo superne tegitur fornice, ut adspectus in eam pateat fidelibus ad sacram confessionem orantibus) binis de superiori basilica marmoreis sculis descenditur.

F. *Sacra beati Petri confessio, cuius cellula olim aeneis inauratis cancellis claudebatur ab Innocentio III. factis, quorum nonnisi suprema pars hodie superest cum inscriptione metrica: in ipsius autem cellulae abside antiqua Christi salvatoris effigies opere musivo adhuc exstat.* Appendicis TAB. III.

G. *Pii papae VI. statua ab Antonio Canova exsculpta.*

H. *Aditus ad sacellum, sive oratorium sanctae Mariae* a praegnantibus *nuncupatae.*

20. *S. Iacobi maioris statua e Nicolai V. monumento.* Dion. TAB. XI. num. 4.

21. *Marmorea crux anno* 1608. *reperta, dum fundamenta frontis novae basilicae iacerentur.* Dion. TAB. XI. num. 2.

22. *Christi salvatoris marmorea imago, quae in monumento Berardi card. Heruli exstitit.* Dion. TAB. XI. num. 1.

23. *Inscriptio de ciborio ad sacrae lanceae ferrum adservandum ab Innocentio VIII. exstructo.* Dion. TAB. XII.

24. *Beatae Mariae virginis statua: item tria Cherubim simulacra marmorea.* Dion. TAB. XIII., et XIV.

25. *Bonifacii papae VIII. statua.* Dion. TAB. XV.

26. *S. Bonifacii IV. epitaphium.* Dion. TAB. XVI. num. 1.

27. *Marmorea tabula, in qua inscriptio rudibus litteris insculpta est de sanctorum reliquiis sub Hadriano I. in basilica reconditis.* Dion. TAB. XVII. num. 2. App. TAB. V. num. 1.

28. *Ioannis papae VII. effigies musivo opere, sub qua in marmoreo epistylio eiusdem pontificis nomen litteris exstantibus est exsculptum.* Dion. TAB. XVIII. num. 2., 4.

29. *Beati Petri imago musivo opere, quae in sacello Ioannis VII. erat.* Dion. TAB. XVIII. num. 3.

30. *Orationes tres pro Gregorio III., quae ad eius sepulcrum fuerunt.* Dion. TAB. VIII. num. 1.

31. *Raynaldi card. Vrsini sepulcralis lapis.* Dion. TAB. XX. num. 3. App. TAB. VI. num. 1.

32. *Marmoreae parastas eleganti artificio sculpta, e sacello, ut verisimile videtur, Ioannis papae VII.*

33. *Inscriptio in pavimento, quae docet heic iacuisse olim corpora quatuor sanctorum pontificum, Leonis videlicet I., II., III., et IV.* Dion. TAB. XIX.

34. *Imago in pariete depicta beatae Mariae virginis Iesum infantem gestantis, cui adstant hinc inde angeli duo.* Dion. TAB. XVIII. num. 1.

35. *Divi Pauli apostoli statua, quae ad ianuam porticus pontificum in veteris basilicae atrio erat.* Dion. TAB. XXII.

h. *Altare s. Mariae* a praegnantibus *nuncupatae.* Dion. TAB. XXIII. num. 1.

36. *Divi Petri statua, quae in veteris basilicae atrio ad ianuam porticus pontificum stetit.* Dion. TAB. XXI.

37. *Tabula ingens marmorea, quae apostolorum principes Petrum ac Paulum a Nerone imperatore ad mortem damnatos exhibet.* Dion. TAB. XXIII. num. 2.

Elegans istud anaglyphum una cum aliis, quae infra numeris 229., ac 235. notata occurrunt, ornavit altare maius basilicae veteris a Xysto papa IV. instauratum.

38. *Marcelli subdiaconi regionis sextae epitaphium.* Dion. TAB. XXIV. num. 1.

39. *S. Georgii statua.* Append. TAB. VI. num. 2.

40. *Angelus musivo opere a Iotto pictore clarissimo elaboratus.* Dion. TAB. XXVI. num. 2.

41. *Divi Augustini statua.* Dion. TAB. XXVI. num. 1.

42. *Epitaphium Petri ex tribuno voluptatum, eiusque uxoris Ioannae.* Dion. TAB. XXV. num. 1.

43. *Epitaphium Dulcitii, et Eutychetis romanae ecclesiae notariorum: item Petri subdiaconi regionis primae.* Dion. TAB. XXV. num. 2.

44. *Crux parva marmorea in fundamen-*

tis basilicae veteris reperta. Dion. TAB. XI. num. 3.

45. *Ioannis Alicensis epitaphium.* Dion. TAB. XXIV. num. 2.

46. *S. Iacobi minoris statua e Nicolai V. monumento.* Dion. TAB. XI. num. 5.

47. *Carmina de vaticana aqua a s. Damaso papa in usum fontis baptismalis corrivata.* Dion. TAB. XXVII. num. 1.

48. *S. Bartholomaei statua.* Dion. TAB. XXIX. num. 7.

49. *Gratiani, Valentiniani II., ac Theodosii magni constitutionis cuiusdam fragmentum.* Dion. TAB. XXVII. num. 2.

50. *Beatae Mariae virginis imago musivo opere, quae in ciborio Ioannis VII. fuit.* Dion. TAB. XXIX. num. 5.

51. *S. Ioannis evangelistae statua.* Dion. TAB. XXIX. num. 6.

52., 53., 54., 55. *Sanctorum quatuor evangelistarum Ioannis, Matthaei, Lucae, et Marci imagines clypeatae ex Innocentii VIII. ciborio.* Dion. TAB. XXIX. num. 1., XXX. num. 2., XXX. num. 1., XXIX. num. 2.

56. *Epistylium, in cuius imo litterae nomen Iesu denotantes sunt insculptae: ubinam in veteri basilica exstiterit non liquet.* Dion. TAB. XXX. num. 3.

57. *Quatuor ecclesiae latinae Doctorum imagines anaglypho opere.* Dion. TAB. XXVIII.

58., 58. *Angeli duo, quos in Nicolai V. monumento exstitisse ferunt.* Dion. TAB. XXX. num. 4., 5.

59. *Divi Hieronymi clypeata imago.* Dion. TAB. XXVI. num. 2.

60. *Apostoli incerti statua e Nicolai V. monumento.* Dion. TAB. XXXII. num. 4.

61. *Anaglyphum beatae Mariae virginis imaginem cum infante Iesu exhibens, cui adstant hinc inde angeli duo.* Dion. TAB. XXXI. num. 3.

62. *Divi Augustini clypeata imago.* Dion. TAB. XXXI. num. 1.

63. *S. Philippi apostoli statua e Nicolai V. monumento.* Dion. TAB. XXXII. num. 3.

64. *S. Gregorii magni clypeata imago.* Dion. TAB. XXIX. num. 3.

65. *S. Ambrosii clypeata imago.* Dion. TAB. XXIX. num. 4.

66., 66. *Genii duo, qui Ioannis Caesarini patritii hispani, vaticanae basilicae canonici, stemma gentilitium sustinent.* Dion. TAB. XXXII. num. 1., 2.

67. *S. Andreae apostoli caput opere anaglypho, quod ad ciborium Pii II. pertinuit: infra illud marmoreae tabulae insculpta columba, sancti Spiritus videlicet symbolum.*

Subest huic marmoreum ostiolum, ad cuius postes venerabundi hinc inde angeli sunt exsculpti. Hoc aeneis olim clausum valvis adservabat sacrae lanceae ferrum in ciborio ab Innocentio VIII. exstructo; nunc valvarum locum marmorea crux obtinet, quae ubinam in veteri basilica exstiterit in incerto est. Dion. TAB. XXXIII.

I. *Alter ex quatuor sacrarum cryptarum aditibus, cui nomen a divo Andrea apostolo.*

i. *Sacellum, et altare divi Andreae apostoli.*

K., K. *Australis aditus ad eam vaticani hypogei partem, quae* cryptae veteres *nuncupantur.*

68. *Stephani card. Nardini sepulcrum in pavimento cum inscriptione.* Dion. TAB. XXXVIII. num. 2. Append. TAB. V. num. 2.

69. *Karolae Hierusalem, Cypri, et Armeniae reginae sepulcrum in pavimento.* Dion. TAB. XXXVIII. num. 1.

70. *Mutila inscriptio de capellania a Petro card. Barbo fundata.* Dion. TAB. XXXVII. num. 1.

71. *Inscriptionis fragmentum, qua anonymus visiones a se in vaticana basilica visas enarrat.* Dion. TAB. XXXVI.

72. *Marmorei arcus cuneus supremus (vulgo* chiave dell' arco*), in quo Christi redemptoris symbolum, agnus videlicet crucem gestans, intra clypeum sculptum est.* Dion. TAB. XXXIV. num. 3.

73. *Amaurici comitis Montisfortis epitaphium.* Dion. TAB. XXXVII. num. 2.

74. *Tabulae marmoreae fragmentum, quae Mathildis comitissae donationem continebat.* Dion. TAB. XXXV. App. TAB. VII.

75. *Fragmentum tabulae marmoreae,*

qua Karolae Cypri reginae sepulcrum olim claudebatur. Append. TAB. VIII. num. 1.

k., k. *Stylobata ex albano lapide aedificii illius, quod a Bramante, cum vetus basilica dirueretur, circa sacram confessionem exstructum fuit.*

L. *Altare cum Christi Salvatoris marmorea imagine.* Dionys. TAB. XXXIV. num. 1.

76. *Catelli sepulcralis inscriptio.* Dion. TAB. XVII. num. 1.

77. *Titiani sepulcralis inscriptio.* Append. TAB. IX. num. 1.

78., 78. *Heic tria supersunt adhuc suo loco fragmenta pavimenti basilicae veteris, quod elegantissimi operis artificio variis marmoribus instratum erat.* App. TAB. X. num. 1., 2., 3.

79. *Mutilus reliquiarum catalogus, quae erant in aedicula iuxta sepulcrum Othonis II. imperatoris in veteris basilicae atrio.* Dion. TAB. XXXIX.

80. *Inscriptio de quadam beatae Virginis imagine a Iotto depicta, quam Nicolaus Acciaiolus sub Paulo III. pio studio servandam, et in monumento sibi posterisque suis exstructo collocandam curavit.* Dion. TAB. XLI.

81. *Inscriptio in fundamentis veteris sacrarii reperta, quae opus quoddam commemorat anno 1327. inibi forsitan factum.* App. TAB. IX. num. 3.

82. *Fragmentum epitaphii metrici Antonii de Vetulis episcopi et principis firmani, ex coniectura suppletum.* App. TAB. IX. num. 2.

83. *Mutilum epitaphium metricum christianae feminae, cuius nomen intercidit, Domitii cuiusdam uxoris.* Dion. TAB. XLII. num. 1.

84. *Marmor, quod anno 1492. sepulcrum commune Beneficiatorum vaticanae basilicae claudebat.* Append. TAB. VIII. num. 2.

85. *Sepulcralis inscriptio metrica Ferrandi cuiusdam hispani, ab initio et in medio mutila, ex coniectura suppleta.* Append. TAB. XI.

86. *Francisci Bandini Piccolominei archiepiscopi senensis sepulcrum, quod infra statuam divo Andreae apostolo ab eo positam olim fuit.* Dion. TAB. LXIII. num. 3.

87. *Sepulcralis inscriptionis fragmentum, quod inversum in pavimento heic prope nuper repertum fuit.* App. TAB. IX. num. 4.

88. *Baptistae card. Zeni veneti gentilitium stemma cum subiecta inscriptione.* Dion. TAB. LXI. num. 1.

89. *Henrici card. eboracensis, Caroli III. Britanniae regis filii, sepulcrum.*

90. *Caroli III. Britanniae regis sepulcrum.*

91. *Iacobi III., Caroli filii, Britanniae regis sepulcrum.*

92. *Marmorea aedicula, in qua beatae Virginis imago, in pariete depicta, est inclusa.* Append. TAB. XII.

93. *Richardi card. Oliverii epitaphium in pavimento, magna ex parte mutilum.* Dion. TAB. XLII. num. 2.

94. *Divi Bernardi caput opere musivo.*

M. *Inscriptio, quae docet post hunc parietem terram adservari egestam prope confessionem beati Petri, dum fundamenta quatuor pilarum Z., Z., Z., Z. iacerentur.*

95. *Fragmentum epistylii decagoni, quod ad sacrosancti sudarii ciborium pertinuit.* Append. TAB. XIII. num. 1.

96. *Anaglyphum e marmore, quod beatae Virginis imaginem exhibet Iesum in ulnis gestantis.* App. TAB. XIV. num. 1.

97. *Angeli caput musivo opere.*

98. *Romualdi card. Braschii de Honestis sepulcrum.*

99. *Metricum Nicolai papae I. epitaphium magna ex parte mutilum, partim coniectura, partim ex Petro Mallio suppletum.* Append. TAB. XV.

100. *Fragmentum coronae (vulgo* rosone, *sive* cassa*) veteris alicuius aedificii elegantissime sculptum, quod inversum in pavimento exsistebat.* App. TAB. XVI.

101. *Basis marmorea quadrata, in cuius lateribus sculptum est Ursinae gentis stemma, et insigne reverendissimi vaticanae basilicae Capituli.* Append. TAB. XVII. num. 4.

102. *Fragmentum epitaphii metrici cuiusdam vaticanae basilicae canonici,*

cuius nomen intercidit, qui obiit anno vulgaris aerae 1044. Dion. TAB. XLIV.

103. *Francisci cardinalis de Thebaldescis sepulcralis lapis.* Dion. TAB. XLIII.

104. *Ethnicae inscriptionis fragmentum fabri cuiusdam argentarii.* Append. TAB. XIX. num. 2.

105. *Mutila inscriptio, quae vicomagistros romanae urbis exhibet anni* 107. *In incerto est ad quem vicum cuiusnam regionis pertinuerint.* Append. TAB. XX.

106. *Ethnicae inscriptionis fragmentum in pavimento repertum.* Append. TAB. XXI. num. 1.

107. *Sarcophagus, et sepulcralis titulus Felicis diaconi.* Dion. TAB. XLV. num. 1.

108. *Gregorii papae V. sarcophagus, et metricum epitaphium.* Dion. TAB. XLVI.

M. M. *Geminae inscriptiones, quae docent post hos parietes terram erutam prope sacram confessionem adservari.*

109. *Othonis II., romanorum imperatoris, sarcophagus.* Dion. TAB. XLV. num. 2.

X. *Heic in fornice cryptarum rotunda fenestra est, clathris aeneis clausa, ad hypogeum inlustrandum.*

110. *Ethnica inscriptio arae Laribus augustis dicatae.* App. TAB. XXI. num. 5.

111. *Militum, ut probabile videtur, catalogus undique mutilus.* Dion. TAB. XL. num. 1. App. TAB. XXI. num. 3.

112. *Tuscenii consulis, et Flaviae Venustae epitaphium mutilum.* Append. TAB. XIX. num. 1.

113. *Gruesiae Veneriae ethnicae feminae epitaphium.* App. TAB. XXII. num. 3.

114. *Valeriae Latobiae christianae feminae inscriptio ex Bosio suppleta.* Append. TAB. XXIII. num. 3.

115. *Basis cum gentilitio stemmate Richardi card. Oliverii vaticanae basilicae archipresbyteri, quae aeneam divi Petri statuam sustinuit usque ad Benedicti XIV. tempora.* Append. TAB. XXIV.

116. *Christianae inscriptionis fragmentum Dagalaifi consulatu notatum.* Appendicis TAB. XXV. num. 3.

117. *Christianae inscriptionis fragmentum consulatu Syagrii notatum.* App. TAB. XXV. num. 4.

118. *Tabula aegyptiaci marmoris, super quam multos caesos fuisse martyres fertur.*

119. *Tabula porphyretica, super quam traditur s. Silvestrum papam anno* 319. *sanctorum apostolorum Petri et Pauli corpora bifariam divisisse, quod in adposita inscriptione adnotatur.* Append. TAB. XIV. num. 4.

120. *Ioannis holographi epitaphium.* Append. TAB. XXVI. num. 4.

121. *Christiani cuiusdam, Leonis nomine, epitaphium.* Append. TAB. XIIII. num. 1.

122. *Veri metricum epitaphium mutilum.* Append. TAB. XXVII.

123. *Pii papae VI. sepulcrum.*

N. *Medianae navis altare, in quo est Christi Salvatoris imago marmorea, quae Callisti III. monumentum fertur ornasse.* Dion. TAB. XXXIV. num. 2.

124. *Bonifacii papae II. epitaphium e vaticanae bibliothecae manuscripto suppletum.* Append. TAB. XXVIII.

125. *S. Gregorii magni epitaphium ex eodem manuscripto suppletum.* Appendicis TAB. XXIX.

126. *Viri barbati caput musivo opere.*

127. *Senis caput itidem musivo opere.*

128. *Sebastiani Agucii epitaphium in pavimento.* Append. TAB. XXX. num. 1.

129. *Viri stantis imago alta palmos tres opere musivo.*

130. *Christiani, nomine Procli, epitaphium in pavimento.* Append. TAB. XXX. num. 2.

131. *Columba musivo opere.*

132. *Benedicti papae XIII. praecordia.* Dion. TAB. XLVII.

133. *Fossula in pavimento, marmoreo operculo clausa, in quam* caementa sacra, *incertum unde et quando, congesta et condita sunt.*

134. *Petri Raymundi Zacostae sepulcrum.* Dion. TAB. L. num. 1.

135. *Christinae Alexandrae Svecorum reginae praecordia.* Dion. TAB. XLVII.

136. *Sarcophagus, in quo Alexandri VI. cadaver fuit, antequam ad ecclesiam beatae Mariae de monte serrato transferretur.* Dion. TAB. XLVII. num. 2.

137. *Cycnus musivo opere.*

138. *Christianae inscriptionis fragmentum Clearchi consulatu notatum.* Append. TAB. XXXI. num. 3.

139. *Viri stantis imago musivo opere alta palmos tres.*

140. *Angeli caput opere musivo.*

141. *Sepulcralis inscriptionis fragmentum e pavimento borealis navis.* Append. TAB. XXII. num. 2.

142. *Christianae inscriptionis fragmentum, in quo Venantii consulatus memoratur.* Append. TAB. XXV. num. 2.

143. *Metricum Hadriani papae II. epitaphium, partim ex Frodoardo, partim vero ex coniectura suppletum.* Dion. TAB. XL. num. 2. Append. TAB. XXXII.

144. *Christianae inscriptionis fragmentum, in quo consulatus Albini memoratur.* Append. TAB. XXV. num. 1.

145. *Tabula magna marmorea, in qua elegantissimis, sed quam maxime detritis litteris insculpta est dimidia inscriptionis pars, quae de operibus in vaticana basilica factis, post Damasi papae aetatem, loquitur. Hanc ex coniectura suppletam exhibet Appendicis tabula XXXIII.*

146. *Albinae christianae puellae mutilum epitaphium.* App. TAB. XIV. num. 3.

147. *Christinae Alexandrae Svecorum reginae sepulcrum.*

148. *Ardicini cardinalis* De la porta *iunioris sarcophagus, et epitaphium.* Dionys. TAB. LXVIII.

149. 149. *Pondera ex nigro lapide, quae in excruciandis sanctis martyribus adhibita olim fuisse traditur.*

n. n. *Stylobata ex albano lapide aedificii ante sacram confessionem a Bramante exstructi.*

O. *Altare navis borealis, in quo beatae Virginis imago est, quae fuit olim in sacello sanctae Mariae* a febribus *nuncupatae.* Dion. TAB. LXVII. num. 1.

150. *S. Pauli apostoli statua.*

151. *Fragmentum e veteris basilicae ornamentis, in quo duo Cherubim sculpta sunt.*

152. *Innocentii papae XIII. sepulcrum in pavimento.*

153. *Ioannis Guidetti epitaphium.* Append. TAB. XXVI. num. 5.

154. *Fragmentum inscriptionis, in qua Focae imperatoris nomen occurrit.* Append. TAB. XXIII. num. 2.

155. *Inscriptionis fragmentum, in quo tertius anonymi cuiusdam consulatus habetur.* Append. TAB. XXVI. num. 1.

156. *Sarcophagus e syenite lapide, in quo Hadriani papae IV. corpus iacet.* Dion. TAB. XLVIII. num. 2.

157. *Sarcophagus, in quo Pii III. corpus olim fuit. Operculum, quo clauditur, est lapis sepulcralis, quem ante pontificatum sibi paraverat.* Dionys. TAB. XLVIII. num. 1., et L. num. 2.

158. *Augustini Tudeschini, Pii papae III. ex fratre nepotis, sepulcrum, et inscriptio in pavimento.* Dionys. pag. 134.

159. *Sarcophagus, in quo Pii II. corpus condebatur, antequam una cum corpore Pii III. ad ecclesiam s. Andreae de valle anno* 1610. *transferretur.* Dion. TAB. XLIX. num. 1.

160. *Bonifacii papae VIII. sarcophagus.* Dion. TAB. XLIX. num. 2.

161. *Benedicti cardinalis Caietani, tituli sanctorum Cosmae et Damiani, sepulcrum, et inscriptio in pavimento.* Dion. TAB. LI. num. 2.

162. *Tabula marmorea cum gentilitio Eugenii IV. stemmate.* Append. TAB. XXXIV. num. 2.

** *Vna ex portis illis, quae ex hypogeo porticus in hypogeum basilicae aditum praebuissent, si vaticanum templum ea forma fuisset exstructum, quam Michaelangelus Bonarota designaverat.* Append. TAB. II. num. 1. litt. M.

163. 163. 163. *Marmorea fragmenta musivo opere ornata, quae ad Bonifacii VIII. sacellum pertinuerunt.* App. TAB. XIII. num. 2., 3., 4.

164. *Portae forsitan epistylium, in cuius fronte inter duorum sanctorum capita insculptum est nominis Iesu monogramma. Adscriptum est infra Augustini cuiusdam Casarrii bergomatis nomen.* Append. TAB. XXXIV. num. 1.

165. *Epistylium, in cuius imo Christi Iesu nomen graecis litteris expressum legitur. In Iacobi Caietani monumen-*

to exstitisse fertur. Dion. TAB. LII. num. 1.

166. *Petri cardinalis Hispani, episcopi sabinensis, sepulcrum*. Dion. TAB. LII. num. 2.

167. *Iacobi Caietani sepulcrum, et inscriptio.*

168. *Nicolai papae V. sarcophagus*. Dion. TAB. LIII.

Supra hunc sarcophagum parieti adfixum est zophori fragmentum e Nicolai V. monumento. Append. TAB. XXXV. num. 2.

169. *Pauli papae II. sarcophagus*. Dionys. TAB. LIV.

170. *Petri, ut veri simile videtur, cardinalis Serrae hispani stemma gentilitium, quod in pavimento inversum exsistebat*. App. TAB. XXXVI. num. 2.

171. *Iulii papae III. sepulcrum lateritium*. Dion. TAB. LV. num. 1.

P. *Aditus nunc interclusus, per quem summi pontifices e vaticano palatio ad sacram beati Petri confessionem accedebant.*

Cuniculi huius, quousque pertingit, ichnographia, minori modulo delineata, subiicitur in ima ichnographica tabula num. II., adiectis quoque illis superioris basilicae partibus, quibus ipse cuniculus toto sui tractu subest. Ibi P. *indicat ostium, quod ferreis cancellis clauditur*: m. *est superne sacellum sanctissimi Sacramenti*, *et* n. *altare gregorianum. In* y. *superest adhuc pars externi stylobatae novae basilicae, quae hucusque pertingebat, antequam a Paulo V. produceretur.*

172. *Nicolai papae III., et Raynaldi cardinalis e gente Vrsina sepulcrum in uno eodemque sarcophago*. Dion. TAB. LV. num. 2.

173. 173. 173. *Fragmenta tria cum Vrsinae gentis stemmate*. Append. TAB. XVII. num. 1., 2.

174. *Vrbani papae VI. sarcophagus*. Dion. TAB. LVI.

175. *Inscriptio, quae in antiqua ecclesia sanctorum Cosmae et Damiani in regione Pontis olim exsistebat*. App. TAB. XIV. num. 5.

176. *Anaglyphum, quod beatam Virginem cum infante Iesu repraesentat.*

177. *Innocentii papae VII. sarcophagus*. Dion. TAB. LVII.

178. *Marmorea tabula in pavimento longa palmos decem, lata quinque et semis, crassa unum.*

Tum haec, tum altera, quae sub numero 198. *exstat, in veteri basilica presbyterium claudebant, uti ex eo vel maxime patet, quod eadem ornamenta utrinque insculpta prae se ferant, et eiusdem formae ac magnitudinis sint, cuius illae, quae in ecclesia divi Clementis prope amphitheatrum Titi etiam nunc supersunt.* Append. TAB. XXXVII. num. 2.

179. 180. 181. *Alia tabularum fragmenta utrinque sculpta, quae ideo sacello alicui sepiendo inserviisse in veteri basilica certum est*. App. TAB. XXXVIII. num. 6., 3., 5.

182. *Marcelli papae II. sarcophagus*. Dion. TAB. LVIII.

183. *Tabulae fragmentum, in quo Christi monogramma exsculptum est, eiusdem omnino generis ac praecedentia fragmenta numeris* 179. 180. 181. *notata*. Append. TAB. XXXVIII. num. 2.

184. *Innocentii papae IX. sarcophagus*. Dion. TAB. LXI. num. 2.

185. *Fragmentum utrinque sculptum supradictis aliis forma, et usu simile*. Append. TAB. XXXVIII. num. 1.

186. *Petri cardinalis Fonsecae hispani sarcophagus*. Dion. TAB. LIX.

187. *Ardicini card*. De la porta *senioris sarcophagus*. Dion. TAB. LX.

188. *Berardi card. Heruli sarcophagus*. Dion. TAB. LXII.

189. *Sanctii de Pazillis vaticanae basilicae clerici beneficiati epitaphium*. Append. TAB. XXXI. num. 1.

Q. *Cubiculum, quod ab Agnete Columna nomen habet.*

190. *Agnetis Columnae, Honorati Caietani uxoris, sepulcrum*. Dion. TAB. LXIV.

191. *Ioannis Podii, episcopi bononiensis, sepulcrum*. Dion. TAB. LXIII. num. 1. Append. TAB. XXXIX. num. 1.

192. *Maffioli de Lampugnano mediola-*

nensis, episcopi plocensis, sepulcrum. Dion. TAB. LXV. num. I. Append. TAB. XXXIX. num. 2.

193. *Sepulcrum Cizulae Francae* nobilis mulieris *(ut in ipso marmore adpellatur) neapolitanae, quae vidua obiit Romae anno* 1394. Dion. TAB. LXVI. num. I. Append. TAB. XL.

194. *Operculum sarcophagi, quo condebatur corpus episcopi, vel cardinalis, cuius nomen una cum epitaphio intercidit.* Dion. TAB. LXVI. num. 2.

195. *Ioannis Baptistae Perbenedicti camertis epitaphium.* Dion. TAB. LXIII. num. 2.

196. *Ioannis card. Lagrolasii sepulcrum* App. TAB. XLI. num. 2.

197. *Theobaldi card. de Monte rubeo, archiepiscopi bisuntini, sepulcrum.* Dion. TAB. LXV. num. 2. Append. TAB. XLI. num. I.

198. *Tabula marmorea, magna ex parte mutila, eiusdem omnino magnitudinis et formae atque illa, quae sub numero* 178. *exstat.* App. TAB. XXXVII. num. I.

R. R. *Borealis aditus ad cryptas veteres.*

S. *Tertius ex quatuor sacrarum cryptarum aditibus, cui nomen a sancto Longino.*

s. *Sacellum, et altare sancti Longini.*

199. *Sancti Pauli apostoli caput opere musivo.* Dion. TAB. LXIX. num. I.

200. *Caput incognitum opere musivo.* Dion. TAB. LXIX. num. 2.

201. *Inscriptio, qua feminis aditu ad sacras cryptas interdicitur.*

202. *Picta beati Petri imago, quae in sacello Xysti IV. erat.* Dion. TAB. LXX. num. I.

203. *Unum ex lateribus tabernaculi ab Innocentio VIII. exstructi ad sacram lanceam adservandam.* Dionys. TAB. LXIX. num. 3.

Heic post parietem polyandrium est, in quo multa sanctorum ossa sunt condita, quae in nova basilica aedificanda fuerunt reperta.

204. *Anaglyphum beatae Virginis imaginem exhibens cum infante Iesu, adstantibus hinc inde apostolis Petro et Paulo. Fuit olim in sacello sancti Blasii a card. Ioanne Caietano Ursino dotato.* Dionysius TAB. LXXII. num. 3.

205. *Anaglyphum, quod mundi creationem repraesentat. Erat olim in monumento Pauli papae II.* Dion. TAB. LXXI. num. 2.

206. *S. Petri apostoli statua e monumento Berardi cardinalis Heruli.* Dion. TAB. LXX. num. 2.

207. *S. Pauli statua indidem.* Dion. TAB. LXX. num. 3.

208. *Anaglyphum, in quo Deus Evam formans repraesentatur. Pertinuit ad monumentum Pauli papae II.* Dionysius TAB. LXXIII. num. 4.

209. *Anaglyphum ex eodem monumento, quod Adam et Evam repraesentat serpentis suasu vetitum ex arbore fructum decerpentes.* Dion. TAB. LXXIII. num. 5.

210. 211. *Statuae duae apostolorum, Petri forsitan et Pauli.* Dion. TAB. LXXIV. num. I., 2.

212. *S. Lucae evangelistae statua e monumento Pauli II.* Dion. TAB. LXXII. num. I.

213. *S. Ioannis evangelistae statua indidem.* Dion. TAB. LXXII. num. 2.

t. *Rotunda fenestra in fornice ad hypogeum inluminandum.*

214. *Alterum ex duobus lateribus tabernaculi ab Innocentio VIII. exstructi ad sacrae lanceae ferrum adservandum.* Dion. TAB. LXXIV. num. 3.

T. *Borealis aditus ad confessionem beati Petri, cuius ostium parastades duae ornant eleganter sculptae, e sacello Ioannis papae VII.* Dion. TAB. LXXI. num. I.

215. *Fidei simulacrum, e monumento Pauli II.* Dion. TAB. LXXIII. num. I.

216. *Spei simulacrum, indidem.* Dion. TAB. LXXIII. num. 3.

217. *Tabula marmorea, quae Christi resurrectionem repraesentat, e monumento Pauli II.* Dion. TAB. LXXV. num. 4.

Supra hanc tabulam in pariete imago beatae virginis Mariae est, opere musivo, quae in sacello, sive oratorio Ioannis VII. fuit. Dion. TAB. LXXV. num. I. App. TAB. XIV. num. 2.

218. *Anaglyphum e Pauli II. monumento, quod universale iudicium exhibet.* Dion. TAB. LXXVI. num. 1.

219. *Charitatis simulacrum, indidem.* Dion. TAB. LXXIII. num. 2.

220. *S. Matthiae apostoli statua.* Dion. TAB. LXXVII. num. 3.

221. *Anaglyphum, quo Andreae apostoli caput repraesentatur, e tabernaculo, quod Pius II. exstruxit ad illud adservandum.* Dion. TAB. LXXVII. num. 1.

222. *Basis statuae, quam Franciscus Bandinus Piccolomineus beato Andreae apostolo dicavit.* Dion. TAB. LXXVI. num. 3.

V. *Quartus ex aditibus sacrarum cryptarum, cui nomen a diva Helena.*

v. *Sacellum, et altare divae Helenae.*

223. *Christi salvatoris imago marmorea e monumento Nicolai V.* Dion. TAB. LXXVI. num. 2.

224. *Anaglyphum e Pii II. ciborio simile aliis, quae sub numeris* 67. *et* 222. *exstant.* Dion. TAB. LXXVII. num. 2.

225. *S. Thaddaei apostoli statua.* Dion. TAB. LXXVII. num. 4.

226. *S. Simonis statua.* Dion. TAB. LXXVII. num. 5.

227. *S. Matthaei statua.* Dionys. TAB. LXXVIII. num. 4.

228. *S. Bartholomaei statua.* Dionysius TAB. LXXVIII. num. 5.

229. *Tabulae duae marmoreae, singulae palmos* 12. *longae: harum una Christum exhibet Petro apostolo claves tradentem, tum Petrum ipsum, qui claudum sanat; altera vero beati Petri in cruce martyrium.*

Tum hae, tum reliquae tabulae, quae numeris 37., *et* 235. *insigniuntur, fuerunt olim in altari maiori basilicae veteris a Xysto IV. instaurato.* Dion. TAB. LXXIX. num. 1., 2., 3.

230. *S. Philippi apostoli statua.* Dion. TAB. LXXVIII. num. 1.

231. *Iunii Bassi urbi praefecti sarcophagus.* Dion. TAB. LXXXI.

232. *Ornamenta quaedam e ciborio Ioannis papae VII.* Dion. TAB. LXXXI.

X. *Aditus ad subterraneum confessionis sacellum et altare, cuius postes forinsecus angeli duo marmorei exornant, e monumento Berardi card. Heruli.* Dion. TAB. LXXV. num. 2., 3.

x. x. x. *Tres rotundae fenestrae in fornice, quibus sacellum inlustratur.*

Y. *Altare, quod est post sacram beati Petri confessionem, et vulgo* altare apostolorum *vocatur ob antiquam tabulam, quae in eo est, in qua apostolorum Petri et Pauli imagines sunt depictae.* App. TAB. XLII.

Z. Z. Z. Z. *Fundamenta quatuor pilarum, quibus aeneae columnae innituntur, quae in superiori basilica altaris pontificalis tabernaculum sustinent.*

233. *S. Petri statua.* Dion. TAB. LXXVIII. num. 6.

234. *S. Andreae statua.* Dion. TAB. LXXVIII. num. 2.

235. *Tabulae duae marmoreae, quarum una Pauli apostoli martyrium, altera Simonem magum, apostolorum Petri et Pauli precibus, praecipitem ad terram deiectum exhibet.*

Fueruntolim in basilicae maiori altari a Xysto IV. instaurato. Dion. TAB. LXXX. num. 1., 2.

236. *S. Ioannis apostoli statua.* Dion. TAB. LXXVIII. num. 3.

237. *S. Iacobi maioris statua.* Dion. TAB. X. num. 4.

238. *S. Thomae statua.* Dion. TAB. X. num. 3.

ΑΩ. *Linea secundum quam orthographia cryptarum per totam earum longitudinem in tabula Appendicis II. num.* 1. *repraesentatur.*

ΠΦ. *Linea secundum quam cryptarum* novarum, *et sacrae confessionis orthographia in eadem tabula num.* 2. *repraesentatur.*

NB. *Inter ceteras inscriptiones, quae inversae in pavimento iacebant, quaedam reperta sunt fragmenta adeo manca, ut nihil omnino inde erui possit: quae ne perirent, parietibus adfigenda variis in locis curavimus, eam praecipue ob caussam, quod spes aliqua sit supplendu olim fore, si reliquum basilicae hypogeum, quod nunc inaccessum latet, in posterum patefiat. Sunt autem adfixa, partim dextra ac sinistra in primo aditu P.* (*) *cuniculi illius, qui cellae olearias usui quondam inservit, partim vero in navis australis parietibus ac pilis, post Nicolai I. epitaphium ac deinceps, usque ad epitaphium Hadriani II. Nullis adpositis numeris haec fragmenta notantur, sed in aes incisa exhibentur in huius Appendicis tabulis XVIII., XXI. num.* 2., 4. *XXII. num.* 1. *XXV. num.* 5., 6. *XXVI. num.* 2., 3., *ac XXXI. num.* 2.

Tabulae XVIII. fragmentum 7. *hunc in modum legendum ac supplendum putamus*

. . . . . . IA PAVLA INL*ustris* F*emina*
. . . . . . M*ensis* DECEMB*ris* AETI*o viro clarissimo consule*

Aetii consulis alius quoque sepulcralis titulus meminit, quem in basilicae novae fundamentis inventum anno 1609. *Aringhius* (*lib. II. cap. X. pag.* 337.) *ita edidit*

HIC REQVIESCET IN SOMNO
PACIS ☧ MALA QVI VIXIT
ANNOS XXXVIIII . M . V . Ð . V
ACCEPTA APVT DEVM . IV . IDVS
IVNIAS AETIO CONS

Nostri fragmenti annus in obscuro latet, cum Aetii nomen in fastis quater occurrat; de marmoris vero ab Aringhio editi aetate dubitari nequit: ad annum enim vulgaris aerae 432. *titulum pertinere patet ex eo, quod occidentalis tantum consulis Aetii mentio in ipso habeatur, quod saepissime factum constat, quoties consulum alter in oriente, alter in occidente consulatum gereret.*

Tabulae XXV. fragmentum 6. *elegantissimis exaratum litteris ad metricam pertinuisse inscriptionem videtur.*

In fragmento 3. *tabulae XXVI.* POMPEIAE *nomen ex vitiosa romani vulgi consuetudine elementum* N *in prima syllaba prae se fert, quemadmodum in aliis quoque permultis vocibus factum passim scripta marmora docent.*

Denique fragmentum, quod in tabula XXXI. numero 2. *notatur, vidit iampridem, cum in pavimento adhuc esset, Turrigius, et indiligenter exscriptum pag.* 440. *sui operis vulgavit.*

Reperta praeterea sunt, itidem in pavimento inversa, marmorea quaedam fragmenta, diverso artificii genere sculpta, quae ad veterem basilicam quoquo modo pertinuisse perquam credibile est, in cuius demolitione olim neglecta ad pavimentum cryptarum sternendum adhibita deinde sub Gregorio XIII. fuerunt, quam in rem videsis quae infra ad num. 78. *adnotamus. Haec in ipso vaticano hypogeo remanere par erat, adeoque ibidem hisce in locis fuere disposita. Ac primum quidem post numerum* 101. *anaglyphum quoddam est non vulgaris artificis opus, cuius figurae cum dimidiatae sint, ac superiori sui parte careant, difficile agnitu est, quid repraesentent, certum tamen videtur ad christianos marmor nullimode referri posse. Post numerum* 167., *ac* 168. *bina parastadum fragmenta sita sunt, quorum unum inauratum olim erat. Haec ad Innocentii VIII. ciborium pertinuisse non dubitamus; Grimaldius enim in opusculo de sacrosancto sudario ac lancea haec pag.* 178. *habet.* „ Parastatae, et arcus ciborium (*lanceae*) sustinentes pomorum sertis floribusque inauratis artificiose caelatae erant. „ *Neque vero operis artificium ab illius aevi ingenio abhorret.*

Post numerum 167. *alterum situm est fragmentum cancellatim ex utraque facie elaboratum, quod in tabula Appendicis XXXVIII. num.* 4. *delineatur, atque ex opere ipso satis patet sacelli alicuius ambitum clausisse.*

Denique post numerum 168. *fragmentum parieti adfixum est, quod tiaram et cetera episcopalia insignia insculpta prae se fert. Hoc in Appendicis tabula XVII. num.* 3. *aere incisum exhibetur; in sepulcrali autem aliquo monumento, vel potius in tabernaculi alicuius fastigio exstitisse ex ipsa eius forma dignoscitur.*

(*) *Vide in tabula ichnographica num. II.*

TABVLAE APPENDICIS II.

IN QVA DVPLEX CRYPTARVM ORTHOGRAPHIA REPRAESENTATVR

EXPLICATIO.

Num. 1. Orthographia secundum cryptarum longitudinem ΔΩ.

APQB. *Novae basilicae pavimentum fornicibus ubique superstructum.*

x., x. *Fenestrae in pavimento clathris aeneis clausae, quibus hypogeum inlustratur.*

ΔX. *Pavimentum subterranei oratorii, quod sub veteris basilicae presbyterio erat.*

YZ. *Pavimentum areae illius, quae ante sacram confessionem est, atque intra porticum hexastylon sita olim erat.* Vide Alpharani ichnographiam *num.* 5., 5.

NΩ. *Veteris basilicae pavimentum.*

C. *Sacra confessio, cuius ichnographia et scenographia in tabula Appendicis III. maiori modulo delineata exhibetur.*

a. *Foramen, per quod* brandea *demitti ac suspendi supra beati Petri sepulcrum solebant.*

m. *Puticulus infra sacram confessionem, subter quem apostolorum principis corpus conditum iacet.*

D. *Altare post sacram confessionem in veteris presbyterii hypogeo.*

E. *Altare pontificale supra ipsam confessionem situm.*

F. *Ostium, quod e novis cryptis in aream ante sacram confessionem intromittit.*

G. *Semicircularis cryptoporticus, quae ad oratorium et altare* D *post sacram confessionem ducit.*

n. *Altare medianae cryptarum veterum navis.*

H. *Ostium, per quod e cryptis novis in veteres est aditus.*

K. *Ostium cubiculi, quod ab Agnete Columna nuncupatur.*

L. *Ostium cuniculi, per quem e vaticano palatio in sacras cryptas summi pontifices olim descendere consueverunt.*

M. *Ostium in extrema boreali navi situm, et muro nunc obstructum, per quod in sacras cryptas aditus patuit, antequam nova basilica ulterius a Paulo V. produceretur.*

Aliud huic simile ostium in extrema quoque australi navi fuisse suspicamur, post Gregorii V. sarcophagum, ubi scilicet terra prope sacram confessionem eruta in loco M, M *adservatur. Vide in tabula ichnographica num.* 108.

Num. 2. Orthographia secundum maximam cryptarum latitudinem ΠΦ.

apqb. *Novae basilicae pavimentum.*

x. *Fenestra in pavimento, qua hypogeum inluminatur.*

n. *Altare beatae Mariae virginis, quae* a praegnantibus *nuncupatur.*

c., d. *Semicircularis cryptoporticus, quae ad oratorium, et altare* D *post sacram confessionem ducit.*

e. *Altare pontificale.*

C. *Sacra beati Petri confessio.*

TABVLAE APPENDICIS III.

IN QVA SACRAE CONFESSIONIS ICHNOGRAPHIA ET SCENOGRAPHIA REPRAESENTATVR

EXPLICATIO.

ABCD. Sacrae confessionis ichnographia.

FGHKL. *Ichnographia cellulae, sub qua beati Petri corpus conditum iacet.*

FG, LK. *Cellulae parietes, in quibus apostolorum Petri ac Pauli imagines insunt, musivo opere, Vrbano VIII. sedente, ad loci ornatum adiectae.*

GHK. *Cellulae absis, in qua Christi Salvatoris antiqua imago opere musivo, exstat.*

pqrs. *Quadratum foramen in cellulae pavimento, per quod in subiectum puticulum supra beati Petri sepulcrum* brandea *demitti solebant.*

EZ, WM. *Foramina nuper hinc inde in portae postibus facta, per quae metricae inscriptionis Innocentii III., aenea in crate incisae, prima et ultima verba, hucusque occultata, adparuerunt.*

BPQC. Sacrae confessionis scenographia.

TVNS. *Aenea crates, sive suprema cancellorum pars, quibus Innocentius III. sacrae confessionis cellulam clausit.*

TXNO, YVRS. *Aeneae cratis partes extremae, quae hactenus post marmoreos portae postes delituerunt.*

Ex aeneae cratis TVNS adhuc superstitis magnitudine ac forma deprehenditur, cellulae frontem Innocentii III. aetate ab austro ad boream palmorum undecim ac trientis longitudinem obtinuisse; atque absidem GHK non in eius medio fuisse sitam, verum palmi unius et amplius spatio meridiem versus recessisse.

IN NOVAM CRYPTARVM
ICHNOGRAPHIAM NOTAE.

AD LITTERAM A.

DVABVS tantummodo scalis patebat ab initio descensus in basilicae hypogeum, ubi nunc statuae Andreae apostoli, et Longini centurionis exsistunt: eaeque ita directae erant, uti illas exhibet in ichnographia cryptarum Ciampinius (1) tab. xxv., et Bonannius (2) in tabola xlvii. Tertias addidit scalas, novumque aditum Paulus v. aperuit, quo in loco nunc est divae Helenae altare, sicuti testatur Turrigius his verbis. (3) „ L'anno 1617. Paolo v. ordinò, che si facesse l'entrata sotto queste sacre grotte da mano destra vicino alla colonna santa (hora vi è l'altare di s. Elena), ove nostro Signore predicando nel tempio di Gerusalemme si appoggiava. „

Nunc autem per quatuor marmoreas scalas in hypogeum descenditur, quas eiusdem formae omnes, aptis dispositas locis, una cum altaribus et superpositis Andreae apostoli, Longini centurionis, Helenae et Veronicae statuis colosseis, Vrbanus viii., quam qui maxime de vaticana basilica bene meritus, exstruendas curavit.

De illo vero aditu, qui nuper in extremo borealis navis veterum cryptarum angulo detectus fuit, suo loco, quae nostra sit sententia, dicemus.

AD LITTERAM a.

Marmorea mensa, quae a cornu evangelii est, binis columellis sustinetur, quae in ciborio Innocentii viii. fuerunt. Discimus id e Turrigio pag. 206. „ Vicino a quest' altare, et anco agli altri tre, come ancora all' altare di san Pietro, sono stati fatti nel 1632. tavolini di marmo sostentati da due balaustri lavorati, che stavano già al ciborio d' Innocentio viii. „

AD NVMERVM I.

Paulus v., ac post eum Vrbanus viii. cryptas, quae *novae* nuncupantur, variis exornandas picturis curarunt, quod et eorum stemmata, et adpositae inscriptiones docent. Eas picturas aetate, ac loci maxime natura squalentes et paene obliteratas, Benedictus xiv. instauravit, uti docet inscriptio, quae heic loci muro adfixa legitur

BENEDICTVS XIV . P . O . M
CRYPTAS VATICANAS
VETVSTATE COLLABEFACTAS
RESTAVRAVIT
ET IN ELEGANTIOREM FORMAM
RESTITVIT
ANNO IVBILAEI CIƆ IƆ CCL

In sacello beatae Mariae praegnantium in sinistro pariete, supra numerum 32. picturae duae sunt, quarum una translationem corporis s. Leonis magni sub Cle-

(1) De sacris aedificiis a Constantino magno constructis. Romae 1747.
(2) Numismata summorum pontificum templi vaticani fabricam indicantia. Rom. 1700.
(3) Le sagre grotte vaticane pag. 16.

mente XI. factam repraesentat; altera vero paralyticum quemdam anno iubilaei 1725. in basilica vaticana repente sanatum, dum pedem aeneae sancti Petri statuae osculatur. Cum Benedicti XIV. nomen sub altera ex hisce picturis legatur, utraque vero eumdem prorsus artificem prodat, persuasum habemus tum primum eas fuisse factas, cum anno 1750. cryptae instauratae fuerunt.

AD NVMERVM 2. *Dionysius tab. x. num. 2.*

Ne saepius eadem dicere cogamur, praestat heic semel monuisse, tum hanc, tum undecim reliquas apostolorum statuas, quae in hemicycli ambitu numeris 220., 225., 226., 227., 228., 230., 233., 234., 236., 237., 238. notantur, ornasse olim ciborium illud, quod magna cum impensa, nec minori operis elegantia, Xystus IV. exstruxerat in maiori basilicae altari; quemadmodum ex hac inscriptione prope Iunii Bassi sarcophagum parieti adfixa colligitur

IMAGINES . ISTAE . MARMOREAE
SS . XII . APOSTOLORVM . ERANT
AD . ORNATVM . CIBORII . QVOD
XYSTVS . IIII . P . M . SVPRA . ALTARE
SACROSANCTVM . B . PETRI
MAGNIFICE . CONSTITVERAT

AD NVMERVM 3. *Dionysius tab. I. num. I.*

Supra hoc monogramma huiusmodi inscriptio legitur

ANTIQVISSIMVM . SIGNVM
HOC EX . DVABVS . GRAECIS . LITTERIS . CONNEXVM
VENERABILE . CHRISTI . NOMEN . INDICANS . E . VETERIS . CONSTANTINIANAE
BASILICAE . MONVMENTIS . ASSERVATVM . HIC . PIAE
FIDELIVM VENERATIONI EXPONITVR . AN . SAL . MDCXLVII .
INNOCENTIO . X . PON . MAX .

Ex qua marmor quidem in veteri basilica alicubi fuisse cognoscimus, locum tamen ignorare cogimur, in quo exstiterit. Cum vero foramina quaedam in ipsis litteris sint, clavis excipiendis, quibus aeneae laminae defigebantur, destinata, ideo persuasum habemus pertinuisse hoc fragmentum ad unum aliquod ex epistyliis tabernaculi illius, quod aeneam *pineam* in atrio basilicae operiebat; cui nostrae opinioni et ipsa marmoris altitudo palmaris mirifice favet, et ea, quae de epistyliis illis Turrigius habet pag. 158. „ V' erano l' architravi di marmo ornati nel fregio di palme e croci, et agnelli di mosaico, come habbiamo visto fino ai nostri tempi con un segno così ☧ di bronzo. „ Neque aliter Grimaldius in fontis illius descriptione, quam heic e vaticani codicis 6437. folio 7. subdimus. (1) Cum enim opera ab Hadriano I. in basilica facta recenset, haec scribit. = „ *Cantharum beati Petri cum quadriporticu marmoribus ornavit. Hic cantharus erat* pinea *aerea in medio atrii ad usum fontis ita appellata. Habebat magnum aquae fontem egredientem de pinnaculo* pineae, *et alii fontes in singulis nucum nodis grato aspectu scatentes. Aqua cadebat in vas quadrum situm et fabrefactum in spatiis columnarum ex magnis marmoribus antiquis; in quolibet duo griphones erant marmore sculpti, pharetram tenentes in medio eorum; unum ex his servandum curavi sub fornice novi pavimenti. (2) Sepiebant* pineam *octo nobilissimae columnae porphyreticae; in una ex his sculptus erat imperator unus, in altera olim*

(1) Fontis schema e grimaldiani codicis folio 4. desumptum Ciampinius tab. IX. littera Q. repraesentat.
(2) Huiusmodi marmor hodie nusquam in cryptis adparet.

ablatus fuit. (*) *Supra coronam columnarum cernebantur elegantissimi pavones aenei aurati, quorum meminit vita Innocentii III. in vaticano. Praecepit enim viterbiensibus, ut portas aereas et pavones canthari basilicae s. Petri instaurarent, quos abstulerant tempore Friderici imperatoris. Coronae zophorus sculptus erat crucibus graecis cum quatuor columbis supra, et infra crucis brachia cum draconibus ad vas bibentibus, et aliis ornamentis; a corona zophori sursum totum erat ex aere opertorium cum signo Christi et quatuor delphinis in angulis, per quos decurrebnt aqua pluens e caelo super opertorium, quod ad arcus factum erat cum cratibus aeneis ad arcus pariter elaboratis; hos delphinos sustinebant marmorei agni cum cophino panis, symbolum Christi. In medio intus erat signum Christi, item in vertice arcuum opertorii. Sub Paulo V. pontifice maximo, dum ad templi frontem erigendam pinea praedicta loco suo mota fuit, et in hortos vaticanos translata, apparuerunt immediate sub ipsa tres magni tubones plumbei ex proximo clivo viridarii, et nemoris vaticani, ut fabri a subterraneo ductu iudicarunt, aquam deducentes. Quilibet horum tubo formam unius librae aquae ad hodiernam mensuram habebat. Hi profecto tubones erant, quos Hadrianus fecerat, ut scribit Anastasius. Leo III. fecit iuxta ipsam pineam alium fontem ad bibendum commodiorem, cuius magnum labrum aeneum permansit ibi ad Gregorii XIII. tempora. Pinea gentilium opus est, ut notant litterae in eius calce* P . CINCIVS . P . L . SALVIVS . FECIT „ =

AD NVM. 4., 4. *Dionysius tab. II. num. 2., 3.*

Ex monumento Berardi cardinalis Heruli narniensis, quod splendidissimum fuisse videtur, nihil aliud superest, nisi sarcophagus, et quaedam practerea fragmenta, quae ad illud pertinuisse certis argumentis probari non potest: nusquam enim exstat accurata aliqua singularum illius monumenti partium delineatio, excepta ea, quam eandem nimis et imperfectam Ciampinius tab. XXII. littera H. protulit ex grimaldiani codicis folio 25. desumptam. Monumenti situm in Alpharani ichnographia numerus 71. designat.

AD NVMERVM 5.

Inscriptio huic polyandrio adposita huiusmodi est

POLYANDRIVM
HVC CONGESTA SVNT OSSA OMNIVM
SANCTA OPINIONE DEFVNCTORVM NOVI
GRATIA TEMPLI ERVTA . E . LOCVLIS SVIS
VT COMMVNI CONDITORIO REQVIESCANT
M . D . XLV .

De quo polyandrio Turrigius pag. 60. haec habet. „ Dove sono state portate molte ossa, che nel guastare il pavimento vecchio in diverse sepolture di mattoni, et in pili di marmo si trovarono, e qua con riverenza furono portate. „

AD NVMERVM 6. *Dionysius tab. XX. num. 1.*

Matthaeum apostolum statuam istam referre, et ornasse olim Nicolai V. mo-

(*) In sacello quoque Xysti IV., quod in veteri basilica fuit, duas exstitisse porphyretici marmoris columnas, in quibus duorum Imperatorum imagines exsculptae essent, Severanus (*Memorie sacre delle sette chiese di Roma*) testatur pag. 99. „ *Seguiva la cappella fabricata et ornata da Sisto IV., che fu negli anni del Signore 1471., nella quale fra l' altre cose notabili erano due bellissime colonne di porfido, che sostenevano l'arco della tribuna della cappella; et in esse erano le imagini di due imperatori, che si abbracciavano insieme; le quali colonne sono state trasportate a Monte cavallo per ornamento della cappella Paolina, dove hora si vedono.* „ Has in vaticanam bibliothecam, ornandae eius caussa, Pium VI. transtulisse vulgo omnes norunt; eas vero, de quibus Grimaldius heic loquitur, periisse putamus, quod nullam usquam earum mentionem invenire, aut vestigium nancisci nobis contigerit.

numentum adposita inscriptio docet; de cuius ornamentis et situ quid investigantibus nobis innotuerit, heic proferemus.

Ac primum quidem monumentum illud, operis non inelegantis, Alpharano teste (1) situm erat antiquitus ad dexteram ostii, quod in sacrarium intromittebat, unde translatum postea fuit in locum, quem idem Alpharanus in ichnographia sub numero 104. his verbis designat. „ Sepulcrum Niculai v. translatum. „

Ad eius vero ornamenta quod adtinet, non omnia sunt certa prorsus et explorata. Non magnam enim fidem meretur monumenti huius ea delineatio, quae apud Ciaconium occurrit (tom. II. pag. 967.), perinde ac reliquae omnes in eo libro eiusdem generis; quippe quae anno demum 1677. tertiae illius operis editioni additae fuerint, cum ab aliquot iam annis monumenta ipsa fuissent disiecta. In huius Appendicis tabula xxxv. num. 1. aliud huiusce monumenti schema exhibemus e grimaldiani codicis folio 23. desumptum; quod eo consilio factum a nobis est, ut inde perspiciatur, quantum a ciaconiano schemate differat, et quam parum fidendum sit Ciampinio (apud quem tabula xvii. littera E. delineatum exstat), qui grimaldianum quidem codicem consuluit, verum negligenter nimis et oscitanter descripta ex illo schemata repraesentavit. Atque ex eo manifestum quoque fiet id, quod in praefatione §. iv. monuimus, schemata scilicet illa, quae in laudato codice inveniuntur, rudia admodum et imperfecta esse, neque ullam singularum cuiusque monumenti partium accuratam ex illis notitiam haberi posse.

Hanc vero statuam ad Nicolai v. monumentum pertinuisse a vero non abhorret, cum ex Grimaldii schemate (vide tab. Append. xxxv. num. 1.) sex statuas in eius parastatis fuisse colligatur, et in cryptis etiamnunc totidem numero statuae supersint, eiusdem omnes artificii et magnitudinis, quas adpositae inscriptiones docent in Nicolai v. monumento exstitisse. Invenies illas numeris 17., 20., 46., 60., 63. deinceps notatas, quarum prior Ioannem apostolum, sequentes duae Iacobum Zebedaei, et Iacobum Alphaei repraesentant: postremae duae apostolorum quidem statuae videntur, verum quinam ii sint, non satis liquet.

AD NVMERVM 7. *Dionysius tab. III. num.* 5.

Sarcophagus, in quo Constantii corpus nunc iacet, non idem ille est, in quo olim condebatur; nam Bosio teste (2) „ il corpo fu riposto in un' arca di marmo sotto il pavimento nuovo, appresso l' altare già dei santi Leoni; e quella conca (*in qua nempe repertum fuerat*) l' hebbe il cardinal del Monte, e la condusse alla sua vigna, presso la porta del Popolo. „ Fallitur ergo Dionysius, qui protomen viri in fronte sarcophagi sculptam Constantium ipsum referre adfirmat. Ceterum inscriptionis verba CONSTANTII LOCVS QVI ADHVC CONSTAT Dionysius ita explicat, quasi *aut locum firmiter sepulcro addictum* designent, *aut Constantium coram deo, et apud homines quoque ob virtutum famam vivere;* quorum neutrum probamus. Illud autem ad verum propius accedere nobis videtur, Constantium vivum adhuc locum sepulcri sibi comparasse, ideoque marmoreae tabulae, qua veluti operculo sarcophagus claudebatur, ea verba QVI ADHVC CONSTAT inscripsisse, ut per ea significaret se e vivis nondum excessisse.

Quare autem *famulus dei* Constantius iste in superposita recenti inscriptione vocetur, ignoramus: hoc tamen nomine primum eum insignitum novimus in ichnographia vaticani hypogei anno 1635. a Benedicto Dreio edita, in qua his verbis sarcophagi huiusce situs designatur. „ Sepolcro di Constantio servo di dio. „

(1) Vide Cancellierium de secretariis vaticanae basilicae pag. 872.
(2) Roma sotterranea edit. an. 1650. pag. 124.

AD NVMERVM 8. *Dionysius tab. III. num.* 1., 2., 3.

Ioannes papa VII. in boreali basilicae navi *sacellum* beatae Mariae virginis exstruxit, intra quod *ciborium* ad sacrosanctum sudarium adservandum fecit; quod ideo heic monemus, ne qua deinceps confusio oriatur: adhuc enim supersunt in cryptis nonnulla, tum *sacelli* illius, tum etiam *ciborii* ornamenta, cuiusmodi sunt tres istae parastades, non rudis profecto artificii, quae ad sacellum pertinuerunt, quod saepe *oratorii* etiam nomine designatur. (1) In Alpharani ichnographia sacelli situs numero 114., ciborium vero ipsum numero 115. perperam notatur: nam teste Maphaeo Vegio (2) *in eius medio* (nempe sacelli Ioannis VII.) erat *aliud altare* (sudarii scilicet) *coopertum desuper nobilissimo elaboratissimoque tegmine*, ubi summa cum veneratione conservabatur, et cum tempora sua postularent, ostendebatur etiam populis sanctissimum sudarium Christi.

Ciborii schema Grimaldius pag. 122. opusculi *de sacrosancto sudario* exhibet, ac rursus folio 34. grimaldiani codicis habetur, ex quo Ciampinius descriptum in tab. XXI. littera C., et D. edidit. Sacellum vero delineatum exstat, apud Grimaldium quidem laudati opusculi pag. 123., et codicis folio 19., 35., 37.; apud Ciampinium autem tab. XIX. litt. B., C., et tab. XXIII. litt. A., B., C., D.

Notandum denique est, portam illam basilicae, quae *sancta* adpellatur, eo loci sitam esse, ubi altare sacelli istius olim fuit, quemadmodum Grimaldius pag. 123. citati opusculi monet, atque in Ciampinii tab. XIX. littera B. licet observare.

AD ASTERISCVM *.

Kalendis martiis anni 1836., dum sacelli pavimentum reficeretur, heic loci sepulcra duo sunt detecta. Horum unum sub sarcophago, qui numero 9. notatur, situm est, longum palmos duodecim, latum palmos quatuor. Eius parietes marmoreis intus tabulis convestiuntur, neque aliud in eo superest, nisi sparsa quaedam ossa et putria arcae ligneae fragmenta, in qua cadaver conditum fuerat: quae arca, ut diutius servaretur, non humi posita olim fuit in imo sepulcri solo, sed ferreis tribus transversis bastis imposita suspendebatur, quarum una integra adhuc superest. (3) Alterum vero sepulcrum, eiosdem prorsus latitudinis ac longitudinis, nihil omnino intus habet, atque eius parietes ne tectorio quidem inducto cooperiuntur. Omnia prout inventa sunt, ita suis intacta locis remanserunt, et strato desuper pavimento iterum fuerunt contecta. Quamplurima vero sub veteris basilicae pavimento ubique sepulcra exstare iampridem Panvinius animadvertit (4), et nos ipsi nuper deprehendimus, cum Innocentii XIII. corpus in cryptas translatum humi sub pavimento borealis navis ante altare O. conditum fuit. Videsis quae infra ad numerum 152. adnotamus.

(1) *Oratorium* adpellat Andreas etiam presbyter ratisbonensis in *Chronico generali*, cum de Ioanne VII. haec narrat. „ *Hic fecit* oratorium *sanctae dei genitricis Mariae intra ecclesiam sancti Petri apostoli*, *cuius parietes mosaico opere depinxit*, *ibique ante altare sepultus iacet.* „ Thesaur. anecdotorum novissimus Pezii, tom. IV., part. III., col. 416.

(2) Vatic. basil. descript. apud Bolland. act. sanctorum iunii, tom. VII. pag. 84.

(3) Hoc idem in sepulcro s. Leonis papae I. factum fuisse deprehenditur ex historia translationis eius a bollandianis die XI. aprilis relata, in qua haec leguntur. „ Tabula marmorea, quae tumbam claudebat, imposita erat quatuor ferreis bastis, sive spranghis, per transversum positis. Capsa habebat quatuor annulos ferreos, binos per latera, quibus intra tumbam facile immitteretur: sustinebatur in altum suspensa etiam aliis quatuor ferreis hastis per transversum positis, quae modo in archivo basilicae asservantur. „

(4) „ *Pavimentum basilicae sancti Petri marmoribus quadris albis*, *et variis coloribus*, *variarum etiam formarum constravit Symmachus papa*, *ut auctor est Bibliothecarius*, *sub quo ubique sunt romanorum pontificum*, *et aliorum clarorum hominum tumuli.* „ Onophrii Panvinii veronensis de rebus antiquis memorabilibus, et praestantia basilicae s. Petri apostolorum principis. Cod. vat. 7010. lib. III. cap. 2. fol. 73. b.

AD NVMERVM 10. *Dionysius tab. IV.*

Tum de hac, tum de alia tabula, quae numero 12. proxime sequitur, Grimaldium praestat audire, cuius ipsamet verba ex vaticanae bibliothecae codice 6438., fol. 49. b. heic describimus. = „ *Scrive Anastasio bibliotecario fol.* 103. *nella vita di Gregorio III. che esso sommo pontefice congregò il concilio avanti la sacratissima confessione di san Pietro contra quelli, che negavano le sacre immagini, decretando.* Si quis depositor, destructor, et prophanator ipsarum imaginum exstiterit, vel blasphemus fuerit, sit extorris a corpore et sanguine Christi dei et salvatoris nostri, et totius ecclesiae sanctae suae, quod et subscriptione sua solemniter universi firmarunt episcopi, presbyteri et diaconi sanctae romanae ecclesiae etc. *La detta constitutione fu scolpita in marmo et affissa nella basilica di san Pietro, ma la ignoranza, per non dir malignità, degli uomini et ministri di essa non curandosi di sì gloriose memorie permise, che detta constitutione sia da uomini ignorantissimi disfatta*, et posta in *opere fabrile: imperocchè disfacendosi sotto Paolo V. l'altare principale della Madonna della febre io ritrovai nella faccia di detto altare una lastra grande di marmo, quale era un pezzo di detta bolla senza però principio nè senso, nondimeno per memoria di tal singolarissima attione è stata affissa a un pilastro delle volte sotterranee del nuovo pavimento. Vn altro pezzo di detta bolla fu ritrovata fra diversi istrumenti fabrili, cannapi, et altre bagaglie in una stantia della fabrica, come nota l'Alfarano nel suo libro a foglio* 42., *et d' indi levata servì per lastricare il pavimento della chiesa avanti l' altar maggiore sotto* Gregorio XIII., *qual iscrittione più volte ho letto, et visto in detto luogo, et haveva la medema forma di lettere, come la suddetta, che io ho ritrovato. Li detti doi fragmenti uno è il principio, l'altro è il fine; manca il mezzo, dove era la sustanza del negotio. Questi dunque sono li fragmenti sudetti: Fragmento ritrovato nell' altare, over faccia di esso nella cappella della Madonna della febre sotto Paolo V. pontefice massimo et affisso hoggi* 1616., *come di sopra*

RO . THEOPHANO . SERGIO . IORDANE
SEV . IOHANNE etc.

Tiberius Alpharanus notat aliud fragmentum

TISSIMI EPISC ET VENER abiles presbyteri
HOC QVOD A VESTRO SE nsu
INTVITV PRAEVISVM AVL . . . . . .
OMNIVM CONDITORIS ET . . . . . .
GREGORIVS SANCTISSIMVS A tque beatissimus
APOSTOLICVS etc. „ =

AD NVMERVM 11. *Dionysius tab. XVI. num.* 2.

Crucem hanc, quae in ciborio sacrosancti sudarii erat, perperam Dionysius in tabula XVI. num. 2. its cum epitaphio s. Bonifacii IV. coniungit, ut ad illud pertinere videatur, cum tamen duo haec monumenta diversis plane in locis exsistant: illud quidem in sacello s. Mariae a praegnantibus, haec vero in sacello sanctae Mariae a porticu.

AD NVMERVM 12. *Dionysius tab. V.*

Inscriptionem, quae in hac tabula continetur, nonnullis in fine priorum versuum litteris mutilam edidit Dionysius; quare heic eam ex ipso marmore accurate descri-

ptam, et partim ex Turrigio, (penes quem longe auctior exstat pag. 71.), partim ex nostra coniectura sppletam (*) hunc in modum restituimus

TRAE Salu*tis*
GREGORIVS S̄Cissimus *ac beatissimus*
APOSTOLICVS PApa dixit
S̄CISSIMI INTENTIO mea e*st subscribere dis-*
POSITIONI EA (*sic*) QVAE A NObis Christi *famulis*
QVORAM (*sic*) BEATI PETRI . APOstoli *corpore facta est*
SVB INTERDICTV ANATHEmat*is*
S̄CTISSIMI EPISCOPI ET VENErabiles *presby-*
TERI . RESPONDERVNT . GRAto (*sic*) duci*mus ut sub in-*
TERDICTV APOSTOLICAE auctori*tatis*
HAEC QVAE SALVBRI CONSideration*e prae-*
VISA SVNT STABILIRI DEBeant neve
QVIS AVDEAT EXSISTERE Temerator.
GREGORIVS S̄CISSIMVS AC Beatissimus apos-
TOLICVS PAPA DIXIT SI QVis contra *huius*
PRIVILEGII DEFINITIONEM VEnire temptave-
RIT . ANATHEMA SIT . ET RESponderunt om-
NES TERTIO ANATHEMA Sit
GREGORIVS GRATIA D̄I EPIScopus ca-
THOLICAE ATQVE APOSTolicae ur-
BIS ROMAE . HVIC PRIVILEgio atque de-
finitioni subscripsi.

AD LITTERAM C. *Dionysius tab. VI.*

Multa de hac imagine invenies apud Cancellierium in opere superius laudato de vaticanae basilicae secretariis pag. 1314.

AD NVMERVM 14. *Dionysius tab. VII.*

Quemadmodum ex grimaldiani codicis folio 30. colligitur, dimidiata haec Benedicti XII. statua sita erat in basilicae pariete supra fastigium altaris cuiusdam, quod ibidem *altare mortuorum* vocatur, *unde* (subdit idem Grimaldius) *elevatum est corpus sancti Leonis papae noni*. Altaris huiusce situs in Alpharani ichnographia numero 48. designatur.

Fallitur autem Dionysius, cum pag. 16. adfirmat statuam hanc *pontificem ipsum sedentem* referre, eiusque sedem *eam ipsam* esse, cui marmorea beati Petri statua in cryptis (vide num. 16.) insidet: cum enim haec statua pontificem stantem potius repraesentet quam sedentem, nullam omnino habuit unquam sedem; Dionysii vero error hinc fluxit, quod nonnulla huic statuae olim addita ornamenta (quae in tabula Ciampinii XVIII. fig. 1., et in grimaldiano codice fol. 30. videri possunt) ad hoc adhibita fuerunt, ut ex iis tergum cathedrae fieret, cui praefata beati Petri marmorea statua insidet.

(*) Voces a nobis in singularum linearum fine suppletas diversa characteris forma a reliquis distinximus.

AD NVMERVM 15. *Dionysius tab. VIII. num. 2.*

Ex grimaldiani codicis folio 30. colligimus inscriptionem hanc ad dexterum statuae Benedicti XII. latus in pariete sitam fuisse.

AD NVMERVM 16. *Dionysius tab. IX. num. 1.*

Quo in loco in veteri basilica statua isthaec fuerit, adposita indicat inscriptio hisce verbis

ERAT INTER COLVMNAS PORTICVS VETERIS BASILICAE SVPRA VALVAS AEREAS.

Clarius vero Turrigius pag. 74. ait „ stava già questa statua avanti la porta grande della chiesa sopra una porta. „ Quod ut plane intelligatur sciendum est, ante veterem basilicam exstitisse olim quadratam porticum, cuius occidentale latus decem columnis, et binis parastatis fulciebatur, atque (uti Alpharanus testatur in suo manuscripto pag. 10.) erat *in ipsarum decem columnarum medio ostium aeneum contra medianam basilicae portam, supra quod beati Petri apostolorum principis marmorea statua in throno sedentis posita.* Valvas istas e regione portae argenteae sitas in Alpharani ichnographia numerus 131. ita designat„ *valvae aeneae antiquissimae.*„

Atque haec de antiquo statuae huiusce situ sufficiant; ad reliqua vero marmora, quod adtinet, quibus nunc ornatur, Dionysius pag. 21. Turrigium auctorem sequutus adfirmat ea exstitisse olim in monumento Vrbani papae VI., marmoream vero sedem, cui insidet, ad Benedicti XII. statuam pertinuisse.

Postremum hoc falsum omnino esse colligitur ex iis, quae supra ad numerum 14. dicta sunt: de altero id tantum notamus, Vrbani VI. monumentum in grimaldiano codice fol. 16., et apud Ciampinium tab. XV. littera L. ita exhiberi, ut nullae omnino statuae, nulla leonum simulacra; ac ne ipse quidem sarcophagus (quem Dionysius tab. LVI. habet) in illo conspiciatur; sed nonnullae tantummodo columellae in eo adpareant, quae tectum quoddam sibi superimpositum sustinent. Longe alia forma delineatum edidit Ciaconius tom. II. pag. 631. Quare id unum superest, ut ex omnibus ornamentis circa statuam hanc positis quatuor dumtaxat columellas ad Vrbani VI. monumentum pertinuisse credamus, quippe quae in Grimaldii et Ciampinii schemate adparent, atque in capitulis aquilas exsculptas prae se ferunt, quae Praegnanae familiae sunt gentilitium insigne, ex qua Vrbanus VI. ortus erat.

AD LITTER. E., E.

Marmoreos scalarum gradus, per quos in aream ante sacram confessionem descenditur, ex veteris basilicae epistyliis confectos narrat Severanus (1), qui et hoc addit. „ Nè è da tacere, che in fabricar dette scale, et aprir quel sito si trovarono alcuni corpi in pili separati vestiti e ligati con fasce, e cinte in croce, come si legge nell'evangelio, che stava Lazaro nel monumento *ligatus pedes et manus institis* (2) eccetto uno, il quale era in habito pontificale: e se bene non vi erano i nomi di essi, fu creduto però molto probabilmente, che fussero di quelli dieci santi pontefici successori di san Pietro, per esservi trovata particolarmente una tavola con l'iscrittione S. LINVS. Questi poi furono lasciati nel medesimo luogo. „

AD LITTERAM F. *Append. tab. II., III.,* et *IV.*

Quamquam apud bollandianos (3) molta de antiqua basilicae confessione habean-

(1) Memorie sacre delle sette chiese di Roma, part. I. pag. 120.
(2) Ioan. XI. 44.
(3) Acta sanctorum iunii, tom. VII. pag. III. et seqq.

tur, non ab re tamen erit panca heic de illa breviter, et fortasse clarius adtigisse.

Ac primum quidem sciendum est, illud veteri basilicae fuisse proprium ac peculiare, ut eodem prorsus in plano № (vide in II. Appendicis tabula orthographiam num. I.) omnes eius partes essent, et presbyterium dumtaxat, quod totum absidis hemicyclum obtinebat, ita adtolleretur, ut per gradus in illud adscendendum esset. Quot numero hi gradus fuerint Severanus docet (1) „ *Si saliva ad essa* (tribnna) *per sette scalini di porfido, che erano dall' una, e l' altra parte del medesimo altare ... si vedono hora questi medesimi scalini posti, e distesi avanti alla tribuna maggiore della nuova chiesa.* „ In ipsius autem presbyterii fronte situm erat altare maius basilicae E ita, ut cellulae C immineret, quae supra beati Petri sepulcrum *m* est exstructa. Cellula haec, cuius vera ichnographia et scenographia nunc primum in huius Appendicis tabula III. exhibetur, in eodem ac reliqua basilica plano exsistebat, atque aeneis inauratis cancellis occludebatur in EM (vide in tab. III. ichnographiam ABCD.), quorum nunc suprema tantum pars TVNS (vide in eadem tab. scenographiam BPQC.) una cum Innocentii III. inscriptione superest. Duodecim ante hanc cellulam vitineae columnae duplici ordine dispositae erant, quae porticum hexastylon efficiebant, de qua Alpharanus in ichnographia num. 5. haec habet. „ Duodecim columnae elegantissimae frontem maioris altaris complectentes, et sancta sanctorum constituentes. „ (2) Neque aliter Severanus tradit (pag. 110.) „ *Si vedevano dodici colonne circondate da cancelli di ferro, postevi da Constantino, e disposte in due ordini in modo, che venivano a formare come un portico avanti l' altare di s. Pietro : sopra delle quali colonne s. Leone IV. pose un' imagine del Salvatore con due angeli, le imagini delli dodici apostoli, et altre di altri santi, tutte d' argento.* „

In presbyterium, ut supra monuimus, per septem gradus porphyretici lapidis adscendebatur, prope quos hinc inde ostiola duo in semicircularem cryptoporticum, circum absidis parietes substructam, intromittebant, per quam ad oratorium et altare D (vide in tab. II. orthographiam num. I.) patebat accessus. Duo haec ostiola in Alpharani ichnographia numeris 10., et 11. notantur. Vnde evidentissime patet, Oratorium, quod veteris basilicae presbyterio suberat, eiusdem prorsus formae fuisse, quam etiamnunc videmus in hypogeo absidis s. Caeciliae trans Tiberim, sanctorum Quatuor Coronatorum in monte Caelio, et s. Sabae in Aventino. (3) Quae omnia quo clarius percipi possint, operam dedimus, ut in huius Appendicis tabula IV. in aes incisa exhiberetur pars illa picturae ex constantiniana vaticani palatii aula, ubi Constantinus repraesentatur, dum ante beati Petri sepulcrum, in basilica a se nuper exstructa, ad pedes pontificis provolutus, amplam ecclesiae dotem adtribuit. Cum pictura haec priusquam vetus basilica dirueretur, fuerit confecta, maximo in pretio habenda est, ea potissimum de caussa, quod veram sacrae Confessionis, et superstructi in presbyterio pontificalis altaris speciem nobis referat, perinde ac hexastyli porticus ante ipsam Confessionem sitae.

(1) Memorie sacre delle sette chiese di Roma, parte I. pag. III.

(2) Sex tantummodo antiquitus columnas ante Confessionem sitas fuisse, atque a Gregorio III. reliquas sex deinde additas Anastasius in eius vita testatur. „ *Hic concessas sibi columnas sex onychinas volubiles ab Eutychio exarcho duxit eas in ecclesiam beati Petri apostoli, quas statuit circa presbyterium ante confessionem, tres a dextris, et tres a sinistris, iuxta alias antiquas sex lithoparias, super quas posuit trabes, et vestivit eas argento mundissimo.* „

(3) De gradibus, per quos in presbyterium adscendebatur, perinde ac de altari supra Confessionem sito, Anastasius in Hadriani I. vita haec habet. „ *Aspectum vero altaris super eamdem almam confessionem, atque dextra laevaque parte iuxta gradus, qui cohaerent iam dictae confessioni, addens in ea argenti libras CXXXVI., curiose renovavit.* „ Quam bene Anastasius gradus *confessioni cohaerentes* dixerit, Alpharani ichnographia demonstrat, in qua ita designantur, ut ab utraque absidis extremitate usque ad ipsam fere Confessionem pertingant.

6

Cum vero novum exstrueretur templum, omne tunc solum eius, (architectorum certe consilio, neque alia de caussa id factum credibile est) elatiori in plano APQB (vide in tab. II. orthographiam num. I.) stratum fuit, et presbyterii, sive antiquae absidis pavimento AP aequatum. Quo factum est, ut veteris basilicae pavimentum NΩ fere totum nunc delitescat, neque eius pars ulla conspicua sit, nisi ea, quam in cryptis calcamus: sacra praeterea Confessio C, quae plano adiri olim pede poterat, novi templi pavimento APQB nunc depressior exsistat.

Quibus praemissis ad singulas Confessionis partes accedamus. Ac primum, quod ad cellulam FGHKL (vide in tab. III. ichnographiam ABCD.) adtinet, hoc notatu dignum videtur, eam ita sitam esse, ut basilicae medium nequaquam obtineat, sed austrum versus aliquantum recedat, prout videre est in nova nostra cryptarum ichnographia. Quare id factum fuerit, ut praecipua ac sanctior templi pars in eius medio non consistat, divinare haud facile est.

Cellula ipsa, quae rectangulae est formae, parva quadam abside GHK occidentem versus terminatur, in cuius pariete Christi salvatoris stantis imago cernitur, opere musivo elaborata, qualem cellulae ipsius scenographia (vide Appendicis tabulam III.) summa diligentia expressam repraesentat. Haec imago, quam, si artificium spectes, ad nonum sive potius decimum saeculum referas, dextera sublata populo benedicit, sinistra vero librum gestat apertum, in quo scriptum est EGO SVM VIA VERITAS ET VITA QVI CREDIT IN ME VIVET. Quibus in verbis cum rubricati apices litterae I superponantur, non magnam operis antiquitatem ii produnt; quod neque in vetustis ullis manuscriptis libris, neque in saxis, aut picturis id unquam nos vidisse meminimus. Eam imaginem a Leone III. factam vulgo putant, cum Anastasius tradat eum fecisse „ *intra confessionem Salvatorem stantem; dextra laevaque eius beati apostoli Petrus, et Paulus habentes pariter coronas ex gemmis pretiosis*. „ Hanc Ciampinius primum in tabula XIV. delineatam edidit, accuratius expressam Borgia iterum exhibuit in suo de vaticana beati Petri confessione opere: usque adeo tamen ab archetypo utraque haec exemplaria recedunt, ut mirum sit in tantum potuisse artifices a vero aberrare. Quae porro apostolorum Petri ac Pauli imagines musivo opere in cellulae lateribus FG, LK nunc exsistunt, eae sub Vrbano VIII. ad loci ornatum fuere additae.

In cellulae pavimento, quod aenea superposita tabula totum sternitur, est quoddam rectangulum foramen *a*, (vide in tab. II. orthographiam num. I., et in tab. III. ichnographiam ABCD.), quod modo *billicum*, modo *catarractam* adpellatum legimus. Per huiusmodi foramen *brandea* supra beati Petri sepulcrum suspendebantur, quae summa in veneratione reliquiarum loco haberi solita notum est. Durat adhuc in foraminis margine clavus, ex quo suspensa brandea demittebantur: infra cellulae enim pavimentum puticulus *m* exstat, palmos quinque cum semisse altus, sub quo apostolorum principis corpus conditum iacet.

Cellulae frontem aeneis inauratis cancellis Innocentius III. clausit, quorum nonnisi superior pars hodie remanet, in qua hi versus leguntur

† SIC CVM DISCIPVLIS BIS SEX XPS RESIDEBIT †
CVM REDDET POPVLIS CVNCTIS QVOD QVISQVE MEREBIT †
† TERCIVS HOC MVNVS DANS INNOCENTIVS I VNVS
SIT COMES IN VITA TIBI PETRE COHISRAELITA I

Quibus ex versibus coniicere licet, intra, vel supra eos cancellos, Christum inter duodecim apostolos medium ex aere, aliave qua materia exsculptum fuisse, quarum imaginum nulla penitus nunc exstant vestigia. Quam in rem Turrigium prae-

atat audire, qui pag. 463. hacc habet. „ *Innocenzo III. vi fece di bronzo un ornamento, e cancello d' avanti alla porticella, che anco di presente si vede, con un Salvatore piccolo con corona regia in testa, pur di bronzo, che dal popolo già si soleva divotamente baciare. Vi erano ancora li simboli delli quattro evangelisti, cioè huomo, bue, leone, et aquila, et hora solo vi si vede l' aquila di bronzo.* „

Cancellos ab Oberto, sive Vberto, placentino artifice conflatos veri simillimum est, qui sub Caelestino III. aeneas lateranensis patriarchii fores etiamnunc superstites conflavit, nec non in vaticana basilica aeneas valvas, quibus sacrosancti sudarii ciborium claudebatur. Legitur adhuc in arcuata cratis parte eius nomen OBERT . . ., cuius extremae litterae una cum reliquis inscriptionis verbis evanuerunt, detrito prae multis adorantium osculis aere. (1) Foribus quoque, quas pro ciborio sudarii artifex iste conflaverat, hanc inscripsisse sui memoriam refert Grimaldius (2) CELESTINVS . PP . III . FECIT . FIERI . HOC . OPVS . PONTIFICATVS . SVI . ANNO . VII . VBERT . PLACENT . FECIT . AS . IANVAS . (3)

Notandum denique est, nos cum penes Turrigium (4) legeremus metricae Innocentii III. inscriptionis prima ac postrema verba post adstructum parietem latere, enixe ab humanissimo Praesule neconomo petiisse, ut perrupto hinc inde muro in Z, et W (vide in tab. III. ichnographiam ABCD.), quo utraeque cratis aeneae extremitates EZ, WM occultabantur, integrus iterum versus legere liceret. Quo statim facto deprehensum est, superesse adhuc extremas cratis illius partes, et inscriptionis initium ac finis in lucem rediit.

AD NVMERVM 23. *Dionysius tab. XII.*

Ciborii situm, quod Innocentius VIII. ad sacrae lanceae ferrum adservandum exstruxit, Alpharanus in ichnographia num. 38. ita designat „ Altare beatae Mariae, et altare sancti Gabini martyris, quae Eugenius III. in nuum restituit, et Innocentius VIII. exornavit, plurimorum sanctorum reliquiis reconditis. „ Schema eius in grimaldiano codice fol. 23. habetur, itemque apud Ciampinium tab. XVIII. fig. 3.; sed maiori modulo, et accuratius delineatum exstat in opusculo, quod Grimaldius *de sacrosancto sudario et lancea* composuit, in quo architecti etiam meminit; nam „ *ciborium* (inquit pag. 174.) *totum marmoreum erat, ex Bramantis famosi architecti inventione.* „ Vbinam vero loci isthaec inscriptio exstiterit, idem pag. 173. ita indicat „ *In ara eius sacelli, cui superne ciborium imminebat, hanc marmore incisam posuit inscriptionem* GENETR . DEI . MARIAE etc. „

AD NVMERVM 24. *Dionysius tab. XIII., et XIV.*

Sanctissimae Trinitatis sacellum, in quo haec beatae Virginis imago erat, Al-

(1) Hoc si cui mirum videtur, meminerit is, licuisse olim omnibus ad sacram confessionem intra porticum hexastylon accedere, cratem ipsam deosculari, et caput illi prae devotionis affectu adplicare; prout ex Panvinio discimus, qui *de altari maiori sancti Petri* agens haec habet (cod. vat. 7010. fol. 76.) „ *Innocentius III. cancellum aereum ante confessionem sub altare sancti Petri fecit, qui ab adeuntibus passim populis deosculari solet.* „

(2) Ms. opusc. de sacrosancto sudario pag. 35.

(3) De his foribus Grimaldius laudati opusculi pag. 121. scribit. „ *Die 18. februarii 1618. Ego vidi has portas in quadam camera superiori inter fabrilia instrumenta: bonum esset illas melius conservare, ne aliquo die liquefiant in usum fabrile.* „ Quod, prout praesagiebat illi animus, contigit: nam eae fores non amplius comparent, et falsum omnino est, quod Sindonius et Martinettius memoriae mandarunt, (*Della sacrosanta basilica di s. Pietro* lib. II. pag. 52.) fuisse videlicet inclusas in aeneis illis foribus, quibus porta sancta anno iubilei claudi consuevit.

(4) En ipsa Torrigii verba pag. 104. „ Dietro la porta di bronzo indorata, si vede una grata pur di bronzo, che vi fece fare Innocentio III. con li versi, parte de' quali sono incastrati nel muro, etc CVM DISCIPVLIS etc. „

pharanus in ichnographia num. 14. ita indicat. „ Sacellum sanctissimae Trinitatis, et sanctorum Cosmae et Damiani, ubi est sepulcrum Beneficiatorum et Clericorum basilicae. „ Fusius autem in manuscripto libro haec ad eumdem numerum habet. „ *Sacellum sanctissimae Trinitatis, et sanctorum Cosmae et Damiani martyrum honori consecratum, ab Ansuino beneficiatorum priore dotatum, in cuius medio in sacelli abditis sunt beneficiatorum et clericorum sepulcra: sed intra hoc sacellum aliquando Alexandri* VI. *papae, et Henrici de Borgia cardinalis corpora lateritiis in tumulis iacuerunt; postea ad Callixti* III. *sacellum, et tumulum translata fuerunt.* „ Quam porro dotem testamento Ansuinus huic sacello legaverit ex basilicae martyrologio innotescit, in quo ad ultimam mensis iulii diem haec adnotantur. „ *Pridie kal. augusti* MDIII. *Obiit venerabilis vir dominus Ansuinus prior beneficiatorum basilicae, qui reliquit unam suam domum sitam in Transtyberim in parochia s. Silvestri* (*) *capellae sanctae et individuae Trinitatis, ac ss. Cosmae et Damiani ad capellam de febribus sepulcro beneficiatorum et clericorum huius basilicae, qui et in hac die voluit sibi perpetuo fieri anniversarium distribuendo inter dominos canonicos, beneficiatos, et clericos praesentes medietatem pensionis dictae domus, reliquam vero pensionem pro capellano duas missas in hebdomada et festo celebraturo remanere voluit. Orate pro eo.* „

De hoc sacello consulatur pag. 1333. Cancellierius, qui inscriptiones, quotquot in eo exstabant antequam sacrarium vetus dirueretur, pag. 1721. retulit.

AD NVMERVM 25. *Dionysius tab. XV.*

Sacellum, ubi dimidiata haec Bonifacii VIII. statua erat, Alpharanus in ichnographia numero 47. ita designat „ Sacellum sancti Bonifacii martyris a Bonifacio VIII. „ In libro autem manuscripto ad eumdem numerum plenius de altari, quod in eodem erat, haec tradit. „ *Altare antiquissimum honori sancti Bonifacii martyris constructum, cum reliquiis eiusdem martyris, quod quidem Bonifacius* VIII. *e marmore pario, columnis, operculo, et musivo elegantissimo restauravit, et exornavit, et usque hodie cernitur; in quo ipse etiam pontifex, et Benedictus Gaietanus sanctae romanae ecclesiae et sanctorum Cosmae et Damiani diaconus cardinalis eius nepos, nec non Petrus Hispani cardinalis episcopus sabinensis, et dominus N. Gaietanus apostolicus prothonotarius sub pavimento requiescunt, ut ex inscriptionibus in tabulis marmoreis insculptis liquet.* „ Vnde manifeste colligitur fuisse illud altare martyri Bonifacio dicatum. Attamen ex Bonifacii VIII. ipsius diplomate, anni saecularis 1300, luculentissimo testimonio constat in honorem Bonifacii confessoris et pontificis illud idem altare fuisse consecratum. En ipsamet diplomatis verba, prout in Bullario vaticano tomo I. pag. 226. leguntur. „ In qua (nempe *basilica vaticana*) elegimus sepeliri, erectis in ipsa honorabilibus capella, et altari in honorem beati Bonifatii confessoris atque pontificis, et aliorum sanctorum atque sanctarum, quorum in ipso altari reliquiae reconditae dinoscuntur, quod per venerabilem fratrem nostrum (*Matthaeum de Acquasparta*) portuensem episcopum fecimus consecrari. „

Quae duo eum inter se invicem prima fronte repugnent, ita demum facile conciliantur, si quis advertat fuisse antiquitus in vaticana basilica altare quoddam Bonifacio martyri dicatum, cuius corporis reliquiae in eo adservabantur; quod postea altare Bonifacius VIII. splendidiore cultu in elegantiorem formam restitutum et exornatum ad honorem Bonifacii papae IV., nec non sanctorum aliorum, quorum ibi reliquias condidit, consecrari curavit.

Eius porro altaris schema grimaldianus codex folio 29. et 28., Ciampinius

(*) Ecclesia haec sita est in regione transtiberina prope portam Septimianam, et quamquam ss. Silvestro et Dorotheae dicata sit, vulgo tamen s. Dorotheae dumtaxat nomine adpellatur.

autem tabula XIX. littera M., et tabula XX. littera B. exhibet, neque haec pontificis statua uspiam in schematis illis adparet.

AD NVMERVM 26. *Dionysius tab. XVI. num. 1.*

Bonifacium papam IV. in porticu basilicae sepultum fuisse Petrus Mallius tradit. (1) Depositionem eius ex chronologica clausula epitaphio subiecta VIII. idus maias contigisse constat, Heraclii imperatoris anno secundo. (2) Ex porticu deinde in basilicam ipsam translatum beati pontificis corpus fuit (3), ac depositum iuxta oratorium Gregorii papae I., prope altare Bonifacio martyri dicatum eo in loco, quem in Alpharani ichnographia numerus 55. denotat; de quo idem Alpharanus in libro manuscripto haec habet. „ *Iuxta altare s. Bonifacii martyris est sepulcrum s. Bonifacii IV.* „ Translationis huius dies in inscriptione illa metrica indicatur, quam Dionysius in tabula XVI. num. 1. repraesentat: etsi non satis liqueat, fuerit ne *vigesima nona* augusti mensis dies, an *quarta* septembris. Eam inscriptionem ex consuetudine, quae iamdiu obtinuit, nos quoque *Bonifacii IV. epitaphium* adpellavimus; quamquam manifestum sit nihil aliud eam esse, nisi titulum, qui supra sancti illius pontificis sepulcrum intra basilicam adfixus fuit ad significandum, quo die translationis ipsius memoria celebranda esset. Etsi autem de translationis anno nulla in lapide fiat mentio, ex litterarum tamen forma atque ex carminum rhythmo non male Papebrochius coniecit X. circiter saeculo id contigisse. (4) Tandem Bonifacius VIII. sancti pontificis ossa loco suo mota sub martyris cognominis altari deposuit, quod inter portam ravennianam, et portam indicii, sive mortuorum, situm erat, quemadmodum Alpharani ichnographia num. 47. demonstrat. (5)

AD NVM. 27. *Dion. tab. XVII. num. 2. Append. tab. V. num. 1.*

Inscriptionem hanc ideo in V. Appendicis tabula repraesentamus, quod male descriptam Dionysius vulgaverit. Ad annum autem aerae christianae 784. referendam esse notae chronologicae evincunt, quae Hadrianum pontificem, et VII. indictionem commemorant. (6) Omnia in hoc marmore aevi illius barbariem atque inscitiam produnt; ac litterarum potissimum forma, quae rudes et mutuis inter se nexibus innctae sunt, quales ea maxime aetate adhiberi coeperunt. Verba hunc in modum legenda, et distinguenda censemus: TEMPORIBVS DOMINI . HADRIANI PAPAE HIC RECVNDITA (*sic*) SVNT RELIQVIAS SANCTORVM IN MENSE . NOVEMBRI IN DIE . XXII . INDICTIONE SEPTIMA . BINA CLVSVRA IN INTEGRO . QVAE PONITVR IN SEPTINIANO . . . . . Neque aliter interpretatur

(1) De Bonifacii *quarti* sepulcro haec Petrus Mallius habet in vaticanae basilicae descriptione, ubi perperam Bonifacium vocat *secundum*. „ *Bonifatius papa II. Hic requiescit in porticu pontificum; cuius epitaphium est istud:*

Vita hominum brevis est, certa hanc determinat hora etc. „ Cod. vat. 3627. fol. 8.

(2) Vide ad calcem Appendicis huius Bonifacii IV. epitaphium num. *XI.*

(3) „ *Bonifatius papa IV. . . . . hic sepultus intra ecclesiam beati Petri iuxta portam ravinianam : cuius epitaphium est istud :*

Gregorio quartus iacet hic Bonifacius almus etc. „ Petrus Mallius cod. vat. 3627. fol. 10. Marmorea tamen tabula, quae sepulcrum claudebat, in portica pontificum remansit, ubi Petri Mallii aetate adhuc exstabat, qui Bonifacii epitaphium ex ea decripsit, et Bonifacio II. perperam tribuit.

(4) „ *Vides rhythmum non accuratiorem illum, qualis est leoninorum versuum saeculo XII. potissimum excultorum, sed rudiorem et soli paucarum litterarum consonantiae adhaerentem, qualem iam inde a saeculi X. principio coepisse placere vero simile censui in* Episcopis mediolanensibus *referens epitaphium Athonis Oldradi Romae, ubi obiit, repertum.* „ Paralipomena ad conatum in catalogos pontificum, penes bollandianos, tom. VII. mensis maii, pag. 55. num. 3.

(5) Altaris ac tabernaculi marmorei, quo superne operiebatur, schema grimaldianus exhibet codex fol. 28., et 29., et Ciampinius tabula XX. litteris C., F.

(6) Sedit Hadrianus papa I. a die 9. februarii anni 772. usque ad 25. decembris anni 795. annos XXIII., menses X., dies XVII.

Onuphrius Panvinius, qui, ubi de vaticanae basilicae reliquiis agit (1), haec habet: „ *In muro ecclesiae prope altare sudarii exstat tabula marmorea sic scripta* : TEMPORAIVS DOMINI HAURIANI PRIMI PAPAE HIC RECONDITAE SVNT RELIQVIAE SANCTORVM IN MENSE NOVEMBRIS DIE XXII. INDICTIONE VII. *reliqua exoluerunt*. „

Cuius tanti viri, ac tantae in hoc doctrinae genere auctoritatis, non contemnendo sane suffragio innixi, non dubitamus adfirmare, nihil minus in hoc marmore, quam sacrosancti sudarii mentionem haberi, quod et antea semper opinati sumus, cum Panvinii schedae nobis nondum innotuissent. Nam quae Dionysius adfert argumenta, ut fidem suae opinioni adstruat, adeo imbecilla sunt atque infirma, ut nullus ea refellere sit labor. Et sane contendit ipse mentionem in lapide fieri diei, qua sacrosancti sudarii altare fuit consecratum. Cum autem ex basilicae martyrologio id factum constet XXII. novembris die, ipse ut inscriptionem cum martyrologii testimonio pugnantem conciliet, ideo in ea diem, quae praecessit, commemorari adfirmat, quod reliquiae sanctorum in altaribus consecrandis pridie, quam ea consecrentur, recondi de more soleant. Quod an ulli persuadere possit, valde dubitamus. Nam cur in marmore non ipsa potius consecrationis dies indicanda fuerit, quae anniversariis semper sollemnibus celebratur? aut quorsum pertinebat diem, quae consecrationem praecesserat, adnotari? Ipsa praeterea inscriptionis verba, si recte perpendantur, aperte demonstrant, nullatenus eam de sacrosancto sudario loqui posse. In ea enim de reliquiis *bina clausura reconditis* est sermo, (ut uempe fieri solet in altarium consecratione, in quibus reliquiae semel reconditae perpetuo latent); cum tamen vulgo omnes noverint, sacrosanctum sudarium ita in ciborio a Ioanne VII., sexaginta et amplius ante Hadrianum I. annis, exstructo fuisse adservatum, ut certis anni diebus populo ostenderetur: qua etiam de caussa Caelestinus III. aeneas ciborio valvas addidit, ut Grimaldius testatur. (2)

Quod autem Dionysius subdit, ut suam interpretationem HIC RECONDITA SVNT RELIQVIA SANCTI SANCTORVM tueatur, id ne refutandum quidem serio putamus. Quis enim audivit unquam, aut novit, exstare ullam alicubi inscriptionem, in qua sacris reliquiis aliquis tribuatur sensus, atque ipsae de se loquantur? Neque magis audiendus est, cum graecorum in supputandis indictionibus rationem sequutus ad annum 783. perperam lapidem referendum existimat, quod XXII. novembris dies eo anno in dominicam inciderit, qua dumtaxat die (ut ipse ait) *dedicatio huiusmodi iuxta antiquissimum ecclesiae morem celebrari debuit*. Hoc enim non semper observatum fuisse innumeris confirmatur exemplis, ex quibus et ecclesias et altaria quamplurima quibusvis hebdomadae diebus consecrata esse cognoscimus. Atque ut ab urbe longius non discedamus, quatuor huiusmodi adferre exempla sufficiat, quorum unum QVARTA FERIA MAIORIS HEBDOMADAE QVADRAGESIMAE sancti Eusebii in colle esquilino ecclesiam consecratam docet; alterum sanctae Martinae in foro romano consecrationem IN MEDIA QVADRAGESIMA (*feria* scilicet *quinta*), QVANDO EST STATIO AD SANCTVM COSMATVM IN SILICE factam prodit; reliqua vero duo in templo sanctae Sabinae in aventino monte altarium duorum consecrationem memorant, unius quidem FERIA QVARTA QVARTAE HEBDOMADAE, IN QVADRAGESIMA, QVANDO LEGITVR EVANGELIVM DE CAECO NATO; alterius autem QVANDO EST STATIO APVD SANCTAM PRISCAM, IN TERTIA FERIA HEBDOMADAE SANCTAE.

Illud etiam non parum opinionem nostram confirmat, quod Panvinius tradit, lapidem scilicet *in muro ecclesiae prope altare sudarii* exstitisse, minime vero in ipso ciborio alicubi adfixum. Ex hoc enim apertissime evincitur, inscriptionem nullimode ad ipsum sudarium posse referri, verum ad alias quaslibet reliquias in sacello sacrosancti sudarii reconditas, et intra eius parietem conclusas. Obtinuisse autem hanc aliquando consuetudinem, ut sanctorum reliquiae in ecclesiarum parietibus inclusae servarentur, iampridem Mabillonius notavit lib. I. de liturgia gallicana cap. IX.

(1) De rebus antiquis memorabilibus, et praestantia basilicae s. Petri. Cod. vat. 7010. lib. III. c. 32. f. 100.
(2) Mss. opusc. de sacrosancto sudario pag. 35. Vide quae ad litteram F. pag. 23. adnotantur.

Neque Panvinium tantum nobiscum sentientem habemus, sed et ipsum Grimaldium: qui etsi in laudato opusculo lapidem ita cum Pompeio Vgonio interpretetur, quasi de sacrosancto sudario mentio in eo fiat; in autographo tamen vaticanae bibliothecae codice longe aliter sentire videtur. Cum enim locum designat, ubi in veteri basilica marmor exstabat, haec de inscriptione ipsa habet. (1) = „ *In quadam tabula marmorea incrustationum sacelli Ioannis VII. veteris basilicae erat quaedam inscriptio ineptissimis characteribus sculpta, in qua fit mentio* quarumdam reliquiarum; *nunc est sub fornice novi pavimenti e templi ruinis servata, aliquibus paucis litteris perditis*

TEMPORIBVS D . N . HADRIANI PAPAE HIC RECVNDTA SVM RLIQVIAS SANCTOR IN MENSE NOBEBRIO D XXII . IND SEPTIMA DINA CLVSVRA IN . . NTEGRO ÏP . . SEPTIMA . . . . . „ =

Verum ut de inscriptione ipsa aliquid dicamus, id primum animadvertimus, in voce SVM, quae in quarto versu occurrit, litteram M locum duarum litterarum NT obtinere. Hoc minime quadratariorum oscitantiae tribuendum, sed ex vitiosa romanae plebis consuetudine manasse autumat Fabrettus (2), ac post eum Lanzius (3), quibus et nos adsentimur. Tot enim idiotismi huius exempla suppetunt, ut prava haec vocum efferendarum ratio in marmora quoque inrepsisse videatur, non quadratariorum inscitia, sed nimia potius eorum diligentia, quippe qui tum demum se mirifice scripsisse sperarent, cum verba, prout auribus accidebant, in marmore exarassent. Videsis quae hanc in rem Caietanus Marinius adnotat in eruditissimo, ac vere aureo commentario in acta fratrum arvalium pag. 586.

Reliquias sanctorum in quinto versu legimus, non vero *reliquia sancti sanctorum*, uti Dionysio placuit, quod nulla superne lineola transversa primum S notetur, quemadmodum fieri debuisset, si ea littera vocabuli compendium esset. Nemini autem mirum videatur vocem feminei generis *reliquias* cum precedenti *recundita* coniungi, et quarto potius casu, quam primo (ut par erat) efferri; huiusmodi enim sermonis vitia in aevi illius monumentis ubique obvia esse ii omnes probe norunt, qui vel leviter haec studia adtigerunt. (4)

(1) Cod. vat. 6438. fol. 57. b.

(2) Inscriptionum cap. v. pag. 316. „ CONPARAVERVM pro *comparaverunt* est de faece plebis, ita scribentis, ut per idiotismum loquebatur. „

(3) Saggio di lingua etrusca tom. I. pag. 140. edit. rom. 1789.

(4) Ne in re passim obvia confirmanda supervacaneis uti exemplis videamur, unam tantummodo hoc adferemus inscriptionem ex museo veronensi pag. CLXXXI., in qua non modo Panvinius, et Vghellius (*Ital. sac. tom. v. pag.* 698.), sed neque ipse Maffeius verum episcopi veronensis nomen vidit. Sub medium circiter octavum saeculum exarata fuit in una ex columellis ciborii altaris maioris basilicae sancti Georgii in valle Pulicella, ut indicio apud posteros esset temporis, quo ciborium ipsum aedificatum fuit. Est autem huiusmodi:

† INÑ ĀÑI IĤV XPI ΔE ΔONIS
SCI IVHANNES
BAPTESTE EΔI
FICATVS EST HANC
CIVORIVS SVB TEMPORE
ΔOMNO NOSTRO
LIOPRANΔO REGE
ET VB PATER NO
ΔOMNICO EPESCOPO
ET COSTODES EIVS
VV VIΔALIANO ET
TANCOL PRBRIS
ET REFOL GASTALΔIO
GONΔELME INΔIGNVS
ΔIACONVS SCRIP
SI

Hoc est „ *In nomine domini Iesu Christi. De donis sancti Iuhannes Bapteste edificatus est hanc civorius sub*

Notas ꝗꝑ interpretati sumus *quae ponitur* ex usu formulae huius frequentissimo apud omnes sequioris aevi scriptores. Quam in rem non inopportunum putamus inscriptionem heic referre, in qua easdem occurrunt notae; quod et supparis aetatis nobis videatur, et iisdem, quibus nostra, scateat barbarismis. Rudibus et ipsa litteris incisa est in secunda columna dextrorsum, in templo divi Nicolai, quod prope Marcelli theatrum est. Edita quidem fuit a Muratorio in novo veterum inscriptionum thesauro (1); verum cum ex Fontaninii apographo inemendate apud illum legatur, eam nos ex columna ipsa, (2) quanta maxima potuimus diligentia, descriptam, servata quoque quarumdam litterarum forma, heic subiicimus:

✝ DE DONIS DI ET
SCE DI GENETRICI . MARIE
SCE ANNE SCS SIMEONET SCE
LVCIE EGO ANASTASIVS MA
IORDOMV OFERO BOBIS PRO NATA
LICIES BESTRE BINEA TABVL VI
ꝗꝑ IN PORTV SEV ,
BOBES PARIA II . IVMENTAS V ; PECORA
XXX PORCI X FVRMA DE RAME LIBRAS
XXVI LECTV SITRATV IN VTILITA
TE PBR SEV ALEO LECTO SITRA
TO AT MANSIONARIIS EQVI
SEQVENTIBVS

In imo columnae ipsius scapo, litteris aliquanto maioribus

† IC REQVIESCIT INANTE

Hanc si quis a soloecismis purgare velit, et ad rectum latini sermonis usum revocare, ita legerit: *De donis dei, et sanctae dei genitricis Mariae. Sanctae Annae, sanctis Simeon et Luciae ego Anastasius offero vobis pro nataliciis vestris* (3) *vineam tabularum VI.*, (4) quae ponitur *in Portu, et boum paria II., iumenta V., pecudes XXX., porcos X., formam aeream librarum XXVI., lectum stratum* (5) *in usum presbyteri; et alium lectum stratum pro mansionariis, qui futuri erunt.*

Nihil usitatius ac sollemnius formula *de donis dei*, quae huic donationis instrumento (non male inscriptionem ita adpellaveris) praemittitur; de cuius vi atque usu Maffeium consule in observationibus litterariis tom. 2. pag. 282.

tempore domno nostro Lioprando rege, et venerabili pater nostro Domnico epescopo, et costodes eius venerabilibus Vidaliano, et Tuncol presbyteris, et Rofol gastaldio. Gondelme indignus diaconus scripsi.

Vides heic *Domnici* episcopi mentionem fieri, qui sub Liutprando langobardorum rege veronensi praefuit ecclesiae, quem idcirco *venerabilem patrem* diaconus Gondelme de more adpellat. Quare ex veronensium episcoporum numero, quos Vghellius recenset, expungendus est fictitius ille *Paternus*, qui ex prava dumtaxat inscriptionis huius lectione atque interpretatione emersit, cum nulla usquam ipsius notitia habeatur, atque in eius locum *Domnicus* postliminii iure restituendus. Hoc igitur titulo non parvi facienda est inscriptio; quam cave, ne cum Maffeio *plebeiae et rusticae latinitatis praeclarissimum monumentum* dixeris, cum corrupti potius, atque obruti barbaricis fluctibus latini sermonis testimonium habendum sit.

(1) Pag. 1826. num. 4.

(2) Columna, cuius in imo scapo diameter palmos duos cum triente aequat, solida est ex carystio pulcherrimo marmore, et viginti quatuor habet strias, quarum undecim superior inscriptio obtinet, qua maxime in latum patet.

(3) *Natalicia* sanctorum posterior aetas vocavit eos dies, qui *natales* olim dicebantur; eoque vocabulo modo obitus, modo martyrii dies denotabatur. In veteri sacramentorum codice a Blanchinio edito (pag. LI. prolegomenon in Anastasii bibliothecarii vitas pontificum romanorum, tom. IV.) haec oratio *in natali sanctorum quatuor Coronatorum* in missa habetur:

„ *Pro martyrum* nataliciis, *domine, tua muneribus cumulamus altaria: da, quaesumus, ut gaudia nobis sancta succrescant, quibus proficiat nostrae devotionis affectus.* „

(4) *Tabulae* nomine agrariam designari mensuram notum est, quae quadratas perticas LXXII. continet.

(5) Muratorius quoque ita hanc vocem interpretatur.

Romanae ecclesiae *maiorem domus*, sive *vicedominum*, fuisse Anastasium recte coniecit Muratorius; quem tamen, tantum virum, valde miramur ignorasse, quid *furma de rame* designet: aereum namque vas vocabulo illo significari, quo in conficiendo caseo utuntur, palam est. (1) Cur autem in secunda potius, quam in alia quavis templi columna, istiusmodi donatio incisa fuerit, inde factum auspicamur, quod ante eam sepulcrum sibi Anastasius elegisset, e regione altaris cuiuspiam, quod sanctis Simeon, Annae, et Luciae dicatum esset, quibus vivens adhuc ea munera obtulerat. Suadent id verba in imo columnae scapo inscripta, quae in Fontaninii apographo apud Muratorium desiderantur: HIC REQVIESCIT INANTE. De inscriptionis aetate non bene iudicat Lanzius (2), qui saeculo circiter quinto exaratam putat. Nam, ut cetera heic omittamus argumenta, quibus id potest refelli, nonne vocabulum *rame*, quod in versu nono occurrit, ac purum putum italicum est, vernaculae dialecti primordia prodit, ac manifeste indicat ad multo posteriora tempora (octavum puta, vel nonum saeculum) inscriptionem esse referendam?

De *Septiniano*, quod in linea postrema legitur (3), incompertum prorsus nobis est, utrum loci alicuius nomen id fuerit in ipsa vaticana basilica, aut prope ipsam siti, an potius maenianum vel suggestum ea vox indicet, unde populo ostenderentur reliquiae. Nam quod Cangius in glossario mediae et infimae latinitatis de hoc vocabulo scribit (4), nullo scriptorum testimonio confirmat, ac sola nostrae huiusce inscriptionis auctoritate nititur, ex qua nihil omnino colligi potest, quod vocis vim ullo modo declaret; praesertim cum postrema inscriptionis verba iam inde a Panvinii, et Grimaldii aetate interciderint.

AD NVMERVM 28. *Dionysius tab. XVIII. num.* 2., 4.

Numero hoc bina designantur monumenta, inscriptio videlicet, atque imago Ioannis VII., quae utraque Dionysius in tabula XVIII. numeris 2. et 4. repraesentat.

Ad inscriptionem quod adtinet, ea in duabus marmoreis tabulis insculpta est, litteris exstantibus, neque iis formae admodum elegantis, de qua Grimaldius haec pag. 25. mss. opusculi de sacrosancto sudario memoriae prodidit. „ *Dictum ciborium* (nempe sudarii) *dum memorato anno* 1606. *fabricatores demolirentur, intra locum, qui sanctam reliquiam continebat, in duabus magnis marmoreis tabulis simul iunctis, in opus ciborii adhibitis, repertum est nomen Ioannis praefati summi pontificis, litteris maiusculis incisum, videlicet* IOHANNIS SERVI SCAE MARIAE. *Haec inscriptio indicat nomen Ioannis* VII., *qui in pariete oratorii se inscripserat:* IOHANNES INDIGNVS EPISCOPVS FECIT BEATAE DEI GENETRICIS SERVVS. „

Ioannis vero VII. musiva imago, quae supra hanc inscriptionem muro adfixa est, aediculam dextero brachio sustinet, neque aliter apud Grimaldium pag. 117. laudati opusculi exhibetur. Sollemne autem fuit in veterum ecclesiarum picturis, ut qui monasterium aliquod, vel ecclesiam, aut sacellum condidisset, sive quo alio modo vetustate fatiscentia sacra aedificia reparasset, depingeretur manu aediculam gestans, quae vel facti, vel instaurati aedificii indicium erat. Cum igitur Ioannes VII. in vaticana basilica ornatissimum beatae Virginis oratorium, nec non sacrosancti sudarii ciborium exstruxisset, merito eius imago aediculam de more ferens depicta fuit,

(1) Ab aerea huiusmodi *forma* sequiori aetate caseus *formaticus*, atque etiam *forma*, passim adpellari coepit.

(2) Saggio di lingua etrusca tom. 1. pag. 423. edit. rom. 1789.

(3) Perperam Turrigius pag. 81., ac post eum Macrius in Hierolexico, et Cangius *Septimianum* vocant, quod in marmore est *Septinianum*.

(4) „ *Septimianum* locum, sive marmoreum conspectum in vaticana basilica significat, ubi ostendebantur reliquiae. „

neque parum culpanda est Dionysii oscitantia, qui sancti pontificis imaginem symbolo illo carentem repraesentavit.

AD NVMERVM 29. *Dionysius tab. XVIII. num.* 3.

In Ioannis VII. sacello Petri apostoli *tres* musivo opere depictae iuerant imagines, quarum *prima* eum Christi evangelium populo palam Hierosolymis praedicantem referebat, *altera* Antiochiae, *tertia* demum Romae. Eae porro imagines, ut in opusculo de sacrosancto sudario pag. 114. a Grimaldio exhibentur, eodem omnes habitu apostolum repraesentabant, binas videlicet manu sinistra claves gestantem, dextera in altum sublata, adpositis ad singulas huiusmodi titulis; ad primam quidem CIVITAS HIEROSOLYMA, ad alteram CIVITAS ANTIOCHIA, ad tertiam denique ROMA. Hanc postremam apostoli imaginem, supra cuius caput *Romae* nomen scriptum erat, tradit ibidem Grimaldius in vaticanis cryptis adservari *prope sacellum sanctae Mariae praegnantium*; quibus consentanea prorsus sunt, quae pag. 85. scribit Turrigius. Nunc vero haec imago neque Romae nomen superne sibi adscriptum habet, neque claves ullas gestat. Quod ne quis miretur, sciendum est, eam aliquot abhinc annis fuisse instauratam, cum adeo temporis iniuria laesa esset, ut vix caput eius ac pectus, Dionysio teste pag. 42., dignoscerentur. Cum autem Grimaldii schema minime ad hoc (ut par erat) adhibitum fuerit, sed tota res artificis arbitrio permissa sit, hinc factum est, ut ab archetypo illo penitus nunc diversa haec imago exsistat.

AD NVMERVM 31. *Dionysius tab. XX. num.* 3. *Append. tab. VI. num.* 1.

Cum hucusque marmorea haec tabula in cryptarum pavimento ita esset locata, ut dimidia fere eius pars muro superstructo occultaretur, eam nuper loco aliquantulum motam, et parieti subductam, in lucem proferri totam curavimus, atque integra nunc primum aere incisa prodit. Marmor tamen adeo detritum est, ut non omnia eius verba facile agnosci, sed haec tantummodo perspicue legi possint

HIC IACET REVERENDISSIMVS PATER DOMINVS RAYNALDVS DE VRSINIS SANCTI ADRIANI DIACONVS CARDINALIS, QVI OBIIT ANNO DOMINI . . . .

Ex quibus palam est, male a Grimaldio, cuius apographum Dionysius refert pag. 144., epitaphium istud exscriptum fuisse. Metrici porro elogii, quod tabulae huic marmoreae (prout illius temporis consuetudo ferebat) subiectum Dionysius ex Grimaldio edidit, nullum in cryptis vestigium nunc exstat.

AD NVMERVM 32.

De hac parastade, non ineleganter exsculpta, neque Dionysius, neque quispiam alius verba facit, atque ignoratur penitus ubinam loci olim exstiterit. Si tamen quidquam ex operis similitudine, et ex artificio licet conicere, cum nulla prorsus in re differat ab iis, quae in Dionysii tabulis I., III., et LXXI. habentur, non male quis putaverit eam in Ioannis VII. sacello fuisse: qua de caussa supervacaneum duximus eam in aes incisam exhibere, quippe quae nihil peculiare prae se ferat, quo ceteris praestet.

AD NVMERVM 33. *Dionysius tab. XIX.*

Geminae heic sunt inscriptiones; altera quidem antiquior in pavimento, quae locum indicat, ubi sanctorum pontificum Leonis primi, secundi, tertii, et quarti corpora iacuerunt; altera vero recentior parieti adfixa, in qua eadem fusius habentur.

AD NVMERVM 34. *Dionysius tab. XVIII. num. I.*

Hanc beatae Virginis imaginem exstitisse olim constat in veteri basilica prope portam navis illius, quae a Christo crucifixo nomen habebat. Porta illa vulgo *porta iudicii*, sive etiam *mortuorum* dicebatur, eo quod per eam defunctorum cadavera in basilicam inferri solerent: eius situm in Alpharani ichnographia numerus 137. designat: altare vero sanctissimi Crucifixi, unde navi ipsi nomen inditum, notatur numero 54.

AD NVMERVM 35., et 36. *Dionysius tab. XXII., et XXI.*

Ut ex Turrigio colligimus (pag. 345.), tum haec divi Pauli, tum altera cousimilis huic beati Petri statua, quae numero 36. notatur „ stavano alla porta del porticale di questa basilica, sopra la quale stava sedente l' antichissima statua di marmo di s. Pietro, che si conserva sotto queste grotte. „ Recolantur heic, quae supra ad numerum 16. dicta sunt.

AD NVMERVM 37. *Dionysius tab. XXIII. num. 2.*

Supersunt adhuc in vaticanis cryptis tabulae quinque marmoreae longae palmos duodecim singulae, altae palmos sex, quae una cum apostolorum statuis, palmos totidem altis, erant in maiori veteris basilicae altari a Xysto papa IV. magnificentissime instaurato. Quanam vero ratione in eo locatae ac dispositae essent, penitus ignoratur, cum nullum altaris illius schema (quantum quidem nos sciamus) delineatum uspiam exstet. Harum tabularum prior, si temporis ordinem spectemus rerum in iis exhibitarum, Petrum claves a Christo accipientem, et claudum a Petro sanatum repraesentat (vide illam num. 229.); altera magum Simonem de caelo praecipitem terrae illisum (vide num. 235.). Tertio censenda loco est haec, in qua Petrus ac Paulus a Nerone imperatore ad mortem damnantur: quarta denique et quinta (vide num. 229., et 235.) apostolorum eorumdem martyrium exhibent.

Neque heic silentio praetereundum est, quod Panvinius de ciborio pontificalis altaris memoriae prodidit (1), fuisse scilicet illud a Pio II., non vero a Xysto IV. factum. „ *Pius II. ciborium e pario marmore cum historia passionis apostolorum eleganti opere quatuor columnis porphyreticis sustentatum super altare ipsum sancti Petri fecit, ad quod per gradus porphyreticos adscenditur, intra quos est confessio beati Petri.* „ Quare, ne fidem tanto viro abrogemus, dicendum erit, inchoatum quidem a Pio II. opus, ad finem vero a Xysto IV. fuisse perductum.

AD NVMERVM 38. *Dionysius tab. XXIV. num. I.*

Turrigius pag. 92. testatur hoc epitaphium anno 1617. die 10. aprilis fuisse repertum „ nel fare la scalinata vicino alla facciata della chiesa, dalla banda della porta santa „ ac proinde extra veteris basilicae ambitum erat.

AD NVMERVM 39. *Appendicis tab. VI. num. 2.*

Statuae huius nulla penes Turrigium, ac Dionysium occurrit mentio; quare, ut eos negligentiae culpa absolvamus, putandum est nonnisi paucis abhinc annis in vaticanas cryptas fuisse aliunde inlatam. In imo marmorei arcus cuneo exsculptam esse patet;

(1) De rebus antiquis memorabilibus, et praestantia basilicae sancti Petri. Cod. vat. 7010. fol. 76.

Georgii autem martyris effigiem referre ex dracone, quem lancea confossum pedibusque subiectum proculcat, quivis facile agnoscit. Insignem hunc fidei christianae propugnatorem Nicomediae, sive ut aliis placet Lyddae (quae et Diospolis), Palaestinae in urbe, anno vulgaris aerae 303. martyrium consummasse pervulgatum est. Memoria eius IX. kalendas maias recolitur; acta vero martyrii, utpote fabulosa, Gelasius papa I. in romano concilio anno 494. (sive, ut alii malunt, 496.) inter apocrypha scripta referenda esse decrevit. (1) Templum illi dicatum in Velabro, frequentissima olim urbis regione, iam inde a quinto, vel sexto saeculo exstructum nonnulli putant, hoc maxime freti argumento, quod sancti Georgii templum epistola LXXIII. ad Marinianum abbatem libro epistolarum XI. sanctus Gregorius memorat. Sed horum opinioni apertissime refragatur Anastasii bibliothecarii auctoritas, qui a Leone II., anno videlicet 683., ecclesiam illam aedificatam ita narrat. (2) „ Huius almi pontificis iussu ecclesia iuxta velum aureum in honorem beati Sebastiani aedificata est, nec non in honorem martyris Georgii. „ Habuit et aliud prope divi Petri basilicam templum, quod *in vaticano* vulgo dictum fuisse, vel *post sanctum Petrum*, ex Mallio discimus. (3)

Particulam de huius martyris capite inter ceteras basilicae reliquias exstitisse Antonius Petri vaticanae basilicae beneficiatus, auctor romani diarii a Muratorio vulgati (4), tradit his verbis, „ *Item fuit fracta imago s. Georgii militis donata basilicae per dominum Annibaldum de Ceccano diaconum cardinalem s. Georgii ad velum aureum ponderis sexdecim librarum boni et puri argenti, in qua imagine fuit inventum de capite s. Georgii cum scriptura sic dicendo: Ego dominus Annibaldus cardinalis recepi dictam reliquiam de ecclesia s. Georgii ad velum aureum.* „ Quin et in ipsa basilica altare quoddam fuit Laurentio et Georgio martyribus sacrum, cuius in ichnographia situm numero 87. ita indicat Alpharanus. „ Olim altare sanctorum Laurentii et Georgii a Iacobo Caietano de Stephanescis cardinali. „ In manuscripto autem libro plenius haec habet. „ *Altare sanctorum Laurentii et Georgii elegantissime exstructum ac dotatum a Iacobo Gaietano de Stephanescis huius sacrosanctae basilicae canonico, ac postea S. R. E. tituli sancti Georgii cardinali, pro anima sua, et Annibaldi de Ceccano S. R. E. cardinalis episcopi tusculani eius nepotis, iuxta quod ipsi vita functi requiescunt.* „ Neque ab re erit adferre heic ea, quae in basilicae martyrologio ad diem X. kalendas iulii de praeclarissimo hoc viro leguntur, qui a Bonifacio VIII. cardinalium albo adscriptus obiit anno 1341. „ *Obiit sanctae memoriae dominus Iacobus Gayetani de Stephanescis sancti Georgii diaconus cardinalis concanonicus noster, qui nostrae basilicae multa bona contulit: nam tregunam eius* (5) *depingi fecit, in quo opere quingentos auri florenos expendit: tabulam depictam de manu Iotti super eiusdem basilicae sacrosanctum altare donavit, quae octingentis auri florenis constitit: in paradiso eiusdem basilicae de opere mosaico historiam, quando Christus beatum Petrum apostolum in fluctibus ambulantem, dextera ne mergeretur erexit, per manus eiusdem singularis pictoris fieri fecit, pro quo opere duo milia et ducentos florenos persolvit; et multa alia, quae enumerare esset longissimum: et ex eiusdem bonis casale, quod dicitur Olivetum prope Balcam, et medietatem quarti casalis Piscis, ac domum Cicche*

(1) „ Ideo secundum antiquam consuetudinem singulari cautela in sancta romana ecclesia non leguntur (*gesta sanctorum martyrum*), quia et eorum, qui conscripsere, nomina penitus ignorantur, et ab infidelibus et idiotis superflua, aut minus apta, quam rei ordo fuerit, esse putantur; sicut cuiusdam Cyrici et Iulittae; *sicut Georgii aliorumque eiusmodi passiones*, quae ab haereticis perhibentur compositae. Propter quod, ut dictum est, ne vel levis subsannandi oriretur occasio, in sancta romana ecclesia non leguntur. „ Genuinum Gelasii I. decretum ex antiquissimo cod. florentino editum a Iosepho Blanchino pag. LXIV. prolegomenon tom. IV. Anastasii bibliothecarii.

(2) sect. 149.

(3) Bolland. tom. VII. Iunii part. 2. pag. 4.

(4) Script. rer. ital. tom. XXIV. pag. 987.

(5) *Tregunam* codex habet pro *tribunam*, quo vocabulo *ambonem*, seu *pulpitum* significari notum est. Vide Cangii glossarium in voce *tribuna*.

in parochia sancti Laurentii de piscibus, (1) *ac cofinos paramentorum pro tribus missis cotidie in eadem basilica in altari sanctorum Laurentii et Georgii celebrandis.* „ Hoc igitur marmor ad altare illud pertinuisse certum ae persuasum habemus, atque in dextero arcus eius latere alteram Laurentii martyris statuam huic per omnia consimilem fuisse insculptam putamus.

AD NVMERVM 40. *Dionysius tab. XXVI. num.* 2.

Hoc angeli simulacrum, in mediana basilicae navi, in pariete, iuxta unam e fenestris Iottus, pictor sui temporis omnium consensu princeps, opere musivo elaboravit, quod in caussa fuit, ut dum vetus basilica diruebatur, ob artificis potius celebritatem, quam ob artificii praestantiam servaretur. Exstat apud Ciampinium tabula x. littera F., et in codice Grimaldii fol. 8., qui haec adscripsit „ *hic angelus manu Iotti pictus erat.* „

AD NVMERVM 41. *Dionysius tab. XXVI. num.* 1.

Cum haec divi Augustini statua in Callisti III. monumento fuisse perhibeatur, opportunum est breviter heic adnotare quidquid de monumento illo nobis innotuit, praesertim cum in vaticanis cryptis alia nonnulla exstent, quae vulgari opinione illi tribuuntur. Callistus igitur III. primum quidem sepultus fuit in subterraneo conditorio, in medio sacelli, quod ipse apostolis Andreae et Iacobo maiori exstruxerat. Quadraginta et quinque interiectis annis Alexandri VI. cadaver in illud idem sepulcrum inlatum fuit, ibique simul duorum pontificum cadavera eousque iacuerunt, donec nova aedificari coepta est basilica; tunc enim translata sunt in sacrarium basilicae, hoc est in rotundam illam aedem, quae sanctae Mariae a febribus nuncupabatur, atque eo in loco recondita, quem Alpharani ichnographia numero 170. designat. Cum vero Xystus V. vaticani circi obeliscum loco suo moveret, necesse fuit rotundae aedis partem illam ipsam dirui, in qua Callisti III. sepulcrum erat, cuius ossa una cum Alexandri VI. cadavere inde amota, et in basilicam rursus relata, in lateritio quodam sepulcro condita fuerunt, quod adstructum fuit muro illi, quo Paulus III. inferiorem veteris basilicae partem diviserat a superiori, quae adhuc dum aedificabatur. Lateritii huiusce sepulcri schema est apud Ciampinium tab. XV. littera D., et folio 16. codicis grimaldiani. Qua de re Bosium praestat audire haec scribentem (2) „ *Callisto III. alli 6. d'agosto l'anno* 1458. *fu sepellito nella cappella da lui edificata in honor di s. Andrea, e di s. Giacomo maggiore, nel mezzo di detta cappella, in una cameretta sotterranea, di dove fu nella rovina della chiesa levato, e portato nella sacrestia; e d'indi nella parte, che restava della medesima chiesa, dietro all' organo; il quale anco dovendosi gettare a terra fu portato parimente, dove sono hora gli altri sepolcri pontificii. Alessandro VI. alli* 18. *di agosto l' anno* 1503. *fu sepellito nella cappella di Callisto III. suo zio, nella medesima sotterranea cappelletta, dove habbiamo detto essere stato il corpo di detto Callisto, il quale fu poi insieme con esso trasportato nella sacrestia, e d' indi trasferito nella vecchia basilica dietro l'organo, e poi ultimamente sotto il nuovo pavimento.* „

De variis autem locis, in quibus horum pontificum cadavera sita fuerunt, antequam ad templum beatae Mariae a Monte serrate transferrentur, copiose disserit Cancellierius (3), ad quem proinde lectores amandamus.

(1) Ecclesiam hanc, quam nunc temporis Clerici regulares scholarum piarum obtinent, vaticani Bullarii editores tom. 1. pag. 84. ita adpellatam putant „ *ab illustri familia de Piscibus, sive a loci vicinia, ubi pisces venum ibant.* „

(2) Pag. 108. 109. edit. rom. anni 1650.

(3) De secretariis basilicae vaticanae pag. 1274., et seqq.

Atque haec de sepulcri situ adtigisse sufficiat; de eius vero forma, et ornamentis nihil omnino certum et exploratum habetur. Si enim Ciaconio fides habenda est, qui monumenti schema edidit tomo 2. pag. 987., fuit in eo sarcophagus, cuius operculum pontificem ipsum iacentem referebat, ac praeter quatuor apostolorum simulacra, et quatuor ecclesiae latinae doctores, inerat etiam in eius medio supra sarcophagum anaglyphum Christum exhibens inter nubes sublimem, et angelorum undique turba circumdatum. Verum Grimaldii codex folio 16. eam sepulcri formam refert, quae lateritium fuisse, atque omnibus prorsus caruisse ornamentis indicat; quadrata enim tantummodo structura constat ita fastigata, ut pyramidem referat: nisi quis forte ornatus omnes ab artifice praetermissos existimet ob nimiam moduli brevitatem, quo in monumenti schemate conficiendo est usus. Hoc namque suadere videntur huiusmodi verba ex Grimaldii instrumento (1) translationis cadaverum Callisti III., et Alexandri VI. „ *Caementarii aperuerunt sepulchrum factum in modum pyramidis, ornatum a lateribus figuris marmoreis sanctorum Callixti papae, Vincentii Ferrerii, Nicolai, et Augustini. In facie erat tabula marmorea sculpta his litteris CALLIXTVS . PAPA . III . ALEXANDER . PP . VI .* „ Quae verba mirum in modum congruunt cum praedicto codicis schemate, quatenus in eo monumentum in pyramidem desinens repraesentatur; *marmoreae* tamen *figurae*, quas Grimaldius memorat, longe aliae sunt ab illis, quas in ciaconiano schemate videmus.

In tanta hac super re discrepantia nos Grimaldii potius auctoritatem secuti, statuam ipsam (dummodo re vera divum Augustinum referat, de quo una cum Dionysio valde dubitamus) in Callisti III. monumento exstitisse credimus; in quo Turrigium etiam nobiscum sentientem habemus, qui pag. 94. haec habet. „ *Vi è poi un vescovo santo di rilievo di marmo, che con la destra tiene una chiesa, e con la sinistra il pastorale: questo è s. Agostino, e stava già al sepolcro di Callisto III.* „

Fieri etiam posset, ut prolatum a Ciaconio schema referat antiquum illud Callisti III. monumentum, ante quod humi in subterranea cella primum is pontifex fuit sepultus in sacello sanctorum Andreae et Iacobi, grimaldianus vero codex novissimum illud lateritium sepulcrum exhibeat, in quo tamdiu iacuit, donec ad templum beatae Mariae a Monte serrato translatum fuit.

AD NVMERVM 42. *Dionysius tab. XXV. num. 1.*

Inscriptionem hanc Bosius (2) mense octobri repertam tradit anno 1608., dum fundamenta novae basilicae iacerentur.

AD NVMERVM 43. *Dionysius tab. XXV. num. 2.*

Lapidem Bosius (pag. 128.) repertum refert anno 1610. in veteris basilicae porticu; Grimaldius vero biennio ante inventum tradit, cui potius hac in re credendum, utpote qui et beneficiatus basilicae fuerit, et summa cura atque diligentia omnia memoratu digna ad basilicam quoquo modo spectantia notaverit.

Quoddam s. Stephani oratorium Romae *in Dulciti* (puta *domo*) situm Anastasius bibliothecarius memorat in Leonis III. vita, sectione 406., dum pretiosa dona in omnibus fere urbis ecclesiis a sancto illo pontifice oblata recenset. „ Simulque et in oratorio sancti Stephani, quod ponitur *in Dulciti*, fecit canistrum ex argento pensantem libras duas, et uncias quinque. „ Huic autem oratorio ab hoc ipso Dulcitio nota-

(1) In mss. libro instrument. pag. 138.
(2) Roma sotterranea edit. rom. 1650. pag. 127.

rio, de quo in nostro lapide sermo est, si quis nomen inditum autumet, is certe nos suae sententiae non valde refragantes habebit.

AD NVMERVM 45. *Dionysius tab. XXIV. num. 2.*

Hanc etiam inscriptionem in fundamentis novae basilicae repertam, anno 1610. Bosius pag. 126. testatur.

AD NVMERVM 48. *Dionysius tab. XXIX. num. 7.*

Apostolum hunc in Callisti III. monumento fuisse nullo prorsus certo argumento potest probari, ob id maxime quod Grimaldius in illius monumenti descriptione ne verbum quidem habeat de ullis apostolorum statuis. Etsi autem in Ciaconii schemate quatuor apostolorum simulacra conspiciantur (quorum unum, cum nullum prae se ferat symbolum, cuium sit dignosci non potest, reliqua vero tria Ioannem evangelistam, Iacobum maiorem, et Bartholomaeum referunt) nullum tamen ex illis cum huiusce statuae habitu et figura ulla in re convenire facile conferentibus patebit. Recolenda heic sunt, quae de Callisti III. monumento supra ad numerum 41. diximus.

AD NVMERVM 49. *Dionysius tab. XXVII. num. 2.*

Turrigio teste (pag. 20.) marmor istud fuit olim „ nel pavimento della chiesa vecchia, vicino all'altare del volto santo. „ Id ipsum confirmat vaticanae bibliothecae miscellaneus quidam codex (*), in quo mutilum hoc decretum Grimaldii ipsius manu descriptum occurrit, hac insuper adiecta nota „ *Anno 1607. fuit repertum hoc fragmentum in pavimento sacelli sanctissimi sudarii Veronicae: nunc est affixum sub fornice novi pavimenti basilicae sancti Petri.* „

AD NVMERVM 50. *Dionysius tab. XXIX. num. 5.*

In Grimaldii opusculo *de sacrosancto sudario*, *et lancea* nulla de musivo hoc mentio occurrit, quod in homine ceteroquin accuratissimo mirandum sane est, praesertim cum Turrigius pag. 478. tradat fuisse olim „ nel parapetto a mano sinistra del ciborio, o tabernacolo del volto santo. „

Dionysius aetate sua ita *ob antiquitatem deformatum* fuisse adfirmat, ut beatae Virginis effigies in ipso vix nosceretur, atque idcirco mutilum in tabula XXIX. num. 5. illud exhibuit. Instauratum postea totum fuit, atque in eam, quam nunc videmus, formam redactum.

AD NVMERVM 51. *Dionysius tab. XXIX. num. 6.*

Haec etiam statua, quam Dionysius pag. 73. Ioannem evangelistam referre autumat, perhibetur in Callisti III. monumento fuisse, de quo supra ad numerum 41., et 48., quid a nobis dictum sit, vide.

AD NVM. 52., 53., 54., 55. *Dion. tab. XXIX. num. 1., XXX. 2., XXX. 1., XXIX. 2.*

Ciborium ab Innocentio VIII. ad sacram lanceam adservandam exstructum tria tantum latera habuit; nam postica sui parte adhaerebat dexterae trium-

(*) Num. 6040. fol. 19.

phalis arcus parastatae, quemadmodum in Alpharani ichnographia num. 38. videre licet. Tribus proinde arcubus eius fornix, sive tholus, sustinebatur, quorum arcuum lunulae, vel potius *triangula* sex, marmoreis decorabantur clypeis, in quibus evangelistae quatuor, et duo ex ecclesiae doctoribus insculpti erant. Id ex Grimaldii opusculo colligitur pag. 174. haec scribentis. „ *In senis arcuum triangulis, intra rotas, quatuor evangelistae, et duo doctores: alii duo doctores erant in ornatum sepulcri Innocentii.* „ Quinam vero doctores ciborium, quinam sepulcrum Innocentii VIII. ornaverint, neque Grimaldius indicavit, neque nos ullo pacto possumus divinare.

AD NVMERVM 56. *Dionysius tab. xxx. num.* 3.

De hoc epistylio Turrigius pag. 101. ait „ Stava già alla sepoltura di Pio II., la quale anche adesso si vede con un bell' epitafio latino qui sotto le sacre grotte. „ Quod certe satis mirari non possumus, cum Pii II. monumentum integrum omnino, ac nulla sui parte mutilum exsistat adhuc in templo divi Andreae de valle, nec proinde adpareat quemnam locum in eo huiusmodi epistylium obtinere potuerit. Quid praeterea sibi velit Turrigius dum *elegans latinum epitaphium* Pii II. commemorat, plane nos ignorare fatemur: eius enim pontificis sarcophagus (de quo infra ad numerum 159. erit sermo) nullam prae se fert inscriptionem, titulo hoc excepto PIVS PAPA II. Neque vero, cum Turrigius ea scripsit, (anno videlicet 1639.) ullum Pii II. epitaphium amplius in vaticanis cryptis esse poterat, eo quod iampridem translatum fuisset monumentum anno 1610. ad ecclesiam divi Andreae de valle.

Quid si pertinuisse epistylium dicamus ad Pii II. ciborium, in quo divi Andreae caput adservabatur? aut potius ad sepulcrum illud, quod Pius III., dum cardinalis adhuc esset, sibi praeparaverat, cuius latinum epitaphium etiamnunc exstat in cryptis? Omnia profecto tunc sibi recte constarent, si memoria lapsum Turrigium ea scripsisse existimemus de Pio II., quae de antiquo illo Pii III. sepulcro, et epitaphio dicenda erant.

AD NVMERVM 57. *Dionysius tab. xxviii.*

Has quatuor latinae ecclesiae doctorum imagines vulgo in Callisti III. monumento fuisse ferunt, quod ex ciaconiano monumenti eius schemate confirmari videtur: verum ex iis, quae supra ad numerum 41. diximus, patet certo id adfirmari non posse.

AD NVM. 58., 58. *Dionysius tab. xxx. num.* 4., 5.

In Nicolai V. monumento duo haec angelorum simulacra fuisse vulgo perhibent, de quo tamen dubitandum valde est, cum in nullo illius monumenti schemate inveniantur. Videsis, quae ad numerum 6. supra adnotavimus.

AD NVM. 59., 62., 64., 65. *Dion. tab. xxxi. num.* 2., *xxxi.* 1., *xxix.* 3., *xxix.* 4.

Quatuor in cryptis exsistunt marmorei clypei ecclesiae latinae doctorum imaginibus exsculpti, iste videlicet, atque alii tres numeris 62., 64., et 65. notati, quos omnes Innocentii VIII. ciborio perperam Turrigius (pag. 25., 26., 27.) tribuit. Nam, ut ex Grimaldii verbis constat supra ad numerum 55. adlatis, duo tantum doctores in eius ciborii triangulis erant, reliqui autem duo Innocentii ipsius monumento exornando inserviebant.

AD NVMERVM 67. *Dionysius tab. XXXIII.*

Quatuor heic diversi generis monumenta coniuncta simul fuerunt, de quibus singulis seorsum aliquid est dicendum. Ac primum quidem in marmorea tabula semicirculari apostoli Andreae caput exsculptum est, quod linteo impositum duo angeli sustinent, extremis hinc inde lintei oris adprehensis. Anaglyphum istud unam ex quatuor frontibus ornabat ciborii, quod Pius papa II. exstruxit, ut apostoli caput Romam e Graecia adlatum in eo reconderet. Ciborii situm ichnographica Alpharani tabula numero 85. ita designat „ Altare s. Gregorii papae a Gregorio IV., supra quod est caput s. Andreae apostoli a Pio II. „ ; formam vero grimaldianus exhibet codex fol. 27., atque ex eo Ciampinius tabula XX. littera A. Ex quatuor huiusmodi anaglyphis, quibus singulae ciborii frontes ornabantur (nam quadratum erat, atque in navis medio ita situm, ut nulla ex parte ad ullum parietem adplicaretur) tria dumtaxat superaunt, quartum intercidit: horum unum heic loci muro est adfixum; reliqua duo numeris 221., et 224. insigniuntur. De quo ciborio haec basilicae martyrologium habet ad diem XIX. kalendas septembres. „ *Quartadecima die agusti MCCCCLXIV. obiit Pius papa secundus, patria senensi, familia Piccolominea, qui singulari devotione huic sanctissimae basilicae affectus corpus templi totum expolivit, sepulcra veterum pontificum, media in aede perturbate posita, in ordinem redacta parieti coaptavit; capellam in angulo templi divo Andreae apostolo, germano Petri, aedificavit; ciborium marmoreum auro distinctum altari superne construxit; ibi caput apostoli ipsius ex Graecia in Italiam a despoto Peloponnesi translatum argento, auro, gemmisque ornatum collocavit; populo bis quotannis, ut ostenderetur instituit, dominica tertia iunii, et pridie kalendas decembres; singulo quoque illius festo, iis, qui locum more ecclesiae frequentarent, decennii veniam indulsit; in altari, cui ciborium imminet, cineres sanctissimi doctoris Gregorii ex alio incultiore loco translatos reposuit; reponendis ipse interfuit.* „

Infra hoc aliud anaglyphum columbae speciem referens exstat, sancti videlicet spiritus symbolum, cui marmorea crux in medio cuiusdam ostioli subest. Turrigius, ac post eum Gizius in vaticanae basilicae descriptione, adfirmat anaglyphum, et marmoream crucem ad Pii II. monumentum pertinuisse; quod tamen in dubium revocari posse iampridem recte vidit Dionysius. Et sane integrum pontificis illius monumentum ad templum s. Andreae de valle fuisse translatum, atque etiamnunc ibidem exstare, supra ad numerum 56. adnotatum est. Quod si penitus Turrigio fidem denegare nolimus, et crucem istam in summo eius monumenti fastigio fuisse olim ponamus, (quod et in multis passim monumentis factum videmus, et candelabra duo in angulis fastigii sita suadere quodammodo videntur) de columbae tamen anaglypho quid statuendum sit, aut quinam ei locus in illo monumento dandus, valde in hoc haeremus. Cum igitur nihil uspiam invenire nobis datum fuerit, quod veri videatur simile, rem in medio aliis inquirendam et diiudicandam relinquimus.

Marmoreum denique ostiolum, ad cuius postes venerabundi angeli adsistunt, aeneis olim valvis claudebatur, et in fronte ciborii erat, quod Innocentius VIII. ad sacrae lanceae ferrum adservandum exstruxerat. In dextero ac sinistro ciborii illius latere duo alia eiusdem prorsus modi ostiola efficta erant, quae supersunt adhuc in cryptis, et numeris 203., ac 214. designantur. Sed praestat Grimaldium ipsum de hoc ciborio disserentem audire, qui laudati saepe opusculi pag. 174., et 175. haec scribit. „ *Fenestella tabernaculi inaurato aeneo ostiolo . . . . . claudebatur lanceae signum habente cum his litteris* HIC EST FERRVM QVO $\overline{\text{XPI}}$ LATVS APERTVM FVIT. *In demolitione eius ciborii sub Paulo V. ostiolum praedictum inter fabrilia instrumenta repositum est, ibique hodie asservatur. In utroque latere ciborii, sive tabernaculi, ubi sacrum*

ferrum lanceae servabatur, cernebantur portae simulatae binis ostiolis marmoreis inauratis lancea, et spongia sculptis cum duobus angelis hinc inde venerabundis, decussatas manus habentibus; hodie in aditu sacrae confessionis in ornatum polyandrii muro sunt affixae. „ *Simulatae* illae *portae*, quas Grimaldius memorat, eae ipsae sunt, quae numeris 203., ac 214. notantur.

AD NVM. 68. *Dion. tab. XXXVIII. num.* 2. *Append. tab. V. num.* 2.

Cum inscriptio haec tribus prioribus lineis mutila apud Dionysium exhibeatur, quod suprema eius pars ligneo altaris gradui subsit, nos eo remoto integram, omni etiam eius ornatu accuratius delineato, nunc primum in lucem proferimus.

AD NVMERVM 69. *Dion. tab. XXXVIII. num.* 1.

Marmoream tabulam, sub qua Karolae Cypri reginae ossa nunc iacent, intra eius sepulcrum ita olim exstitisse, ut nonnisi eo reserato adparuerit, Severanus testatur his verbis (*) „ Fu ritrovato poi il suo corpo l'anno 1609., e sopra esso si trovò una lapide con quest' iscrittione KAROLA HIERVSALEM CYPRI ET ARMENIAE REGINA. „

AD NVMERVM 70. *Dion. tab. XXXVII. num.* 1.

Altare, de quo mutila hac in inscriptione sermo est, in Alpharani ichnographia numero 58. ita designatur „ Altare beatae Mariae ab Eugenio IV., et Petro Barbo cardinali. „ Situm vero altaris, quod in Marci evangelistae honorem Paulus II. exstruxit, numerus 60. proxime sequens in eadem ichnographia his verbis indicat „ Altare s. Marci evangelistae a Paulo II. „ De quo divi Marci altari haec pag. 29. tradit Turrigius. „ Tale altare fu trasportato dalla basilica, che si disfece al tempo di Giulio II., e posto vicino al ciborio d' Innocenzo VIII., et appresso vi era il sepolcro di esso Paolo II., che hora sta qui sotto le sacre grotte con tal epitafio PAVLVS SECVNDVS VENETVS PONT. MAX. etc. „ Et sane tria haec, altare videlicet Marci evangelistae, Pauli II. monumentum, et Innocentii VIII. ciborium, tum in grimaldiano codice fol. 23., tum in Ciampinii tab. XVII. litteris C., F., G., continuata loco exhibentur.

Porro in divi Marci altari marmoreum quoddam anaglyphum fuit, quo Christus cruci adfixus, beata Virgine adstante, ac divo Ioanne evangelista, repraesentabatur. Hoc anaglyphum in vaticanis cryptis (Turrigio teste pag. 29.) aliquandiu fuit, hac subiecta inscriptione „ *Imago sanctissimi Crucifixi ex sacello s. Marci evangelistae a Paulo II. pont. max. in veteri basilica erecto optimeque dotato.* „ Nunc vero in sanctae Balbinae ecclesia exstat, ad quam anno 1650. translatum fuit, quemadmodum adposita ibidem huiuscemodi inscriptione notatur

SANCTISSIMA . HAEC . IMAGO . OLIM . IN . VATICANO
IN . ARA . PETRI . CARDINALIS . BARBI
INDE . E . CRYPTA . HVC . TRANSLATA . FVIT
ANNO . IVBILEI . M . DC . L.

AD NVMERVM 72. *Dion. tab. XXXIV. num.* 3.

Cum loco suo remotum fuit nuper hoc marmor, tum demum patuit nihil aliud esse, nisi supremum arcus cuiusdam marmorei cuneum, (quem vulgo artifices *serra-*

(*) Memorie sacre delle sette chiese di Roma, parte I. pag. 100

glio dell' arco solent vocare), in cuius medio iutra orbiculum, sive clypeum, agnus exsculptus est, Christi salvatoris symbolum.

Atque heic obiter uotandum videtur, mensam illam marmoream, quae a Dionysio iu tabula xxxiv. uum. 4. exhibetur, in basilicae cryptis non amplius exstare: de qua frustra multum inquisivimus, ut locum ubi nunc latet, inveniremus, aut saltem uosceremus tempus, quo e vaticano hypogeo primum fuit sublata.

AD NVMERVM 74. *Dion. tab. xxxv. Append. tab. vii.*

Cum eryptarum pavimeutum, singulis eius iuversis saxis, nostro suasu, nuper instauratum fuit, in boreali earum navi fragmentum quoddam inventum est hisce inscriptum litteris

...... VAE TRINITA ......
...... DIE KL. DECE ......
...... CAPELLA SC ......

Hoc primo statim intuitu de capella sanctissimae Trinitatis loqui iudicavimus, deiude vero, marmor ipsum attentius iuspicientes, deprehendimus fragmentum esse marmoreae illius tabulae, qua comitissae Mathildis donatio bonorum suorum ecclesiae romanae facta continebatur. Statim igitur dedimus operam, ut aliud eiusdem tabulae fragmentum a Turrigio in pavimento similiter olim repertum, et a Dionysio in tabula xxxv. editum, e pariete, cui adfixum erat, removeretur: quo facto patuit illico frustum marmoris a nobis inventum cum fragmento illo superne ad amussim cohaerere, in eoque chartulae ipsius initium haberi. Quo comperto non difficile nobis fuit ex donationis textu, dimensis utrinque iis singularum linearum partibus, quae interciderunt, et vocum compendiis, qualia in ipso marmore occurrunt, adhibitis, ita septem ac decem priores lineas restituere, quemadmodum in ipsa tabula insculptas olim fuisse probabili coniectura videtur, et quales aere incisas in tabula Appendicis huius vii. exhibemus.

Integrum vero chartulae textum ideo heic subiiciendum ducimus, quod ita in singulas lineas a nobis nunc primum distinctus fuerit, quemadmodum in ipso marmore fuisse insculptum ex fragmento nuper iuvento colligimus. Leibnitium (1), ac Muratorium (2) in hoc praestando secuti sumus, quorum maxime opera post Gretserum (3) huiusmodi chirographum emendatius in lucem prodiit. Qua in re valde semper mirati sumus, quae Leibnitius de donationis textu a se edito praefatur; profitetur enim se illum ex antiquissimo vaticanae bibliothecae codice proferre, qui ad Sirletum cardinalem pertinuit, iu quo codice post comitissae Mathildis vitam a Domnizone presbytero, et monacho ordinis sancti Benedicti versibus conscriptam, donationis illius chirographum haberi adfirmat. Eu ipsa eius verba ex introductione in collectionem Scriptorum historiae bruusvicensis illustrationi inservientium. „ *Adieci et chartulam comitissae Mathildis super concessione bonorum suorum facta romanae ecclesiae, quae* in eodem codice *adscripta reperitur, neque scio an eius* authenticum exemplar *alibi habeatur.* „ Verum in vaticano codice 4922., (olim in Sirleti bibliotheca) quem integrum adhuc, nullaque ex parte mutilum nostris ipsi manibus tractavimus, nullum chartulae huius vestigium exstat, neque unquam exstitit; quae tameu in ottoboniano codice 3057. fol. 135. legitur, ex quo eam Caietanus Cennius superiori saeculo edidit. (4) Neque praeterea ignorare

(1) Scriptores rerum brunsvicensium illustrationi inservientes, cura Godefridi Guilielmi Leibnitii. Hanoverae 1707. tom. 1. pag. 687., 688.

(2) Rerum italicarum scriptores, tom. v. pag. 384.

(3) Vetera monumenta contra schismaticos iam olim pro Gregorio vii., aliisque nonnullis pontificibus romanis conscripta.

(4) Monumenta dominationis pontificiae, tom. 2. pag. 238. et seqq.

debuit vir πολυμαθέστατος, qui anno 1689. Romae aliquanto temporis spatio commoratus fuerat, exstare in vaticanae basilicae hypogeo quoddam a Turrigio repertum, et iampridem vulgatum fragmentum marmoreae illius tabulae, quae chartulae textum insculptum continebat. Quod si ex peculiari litterarum forma, et ex vocum compendiis, veluti certo ex argumento, marmoris aetas colligi potest, duodecimo saeculo, vivente forsitan adhuc ipsa Mathilda, chartulam in marmore incisam fuisse veri simillimum videtur. Haec vero marmorea tabula *authenticum* illud est *exemplar*, de quo Leibnitius dubitare videtur, ultrum alibi, quam in sirletiano codice exstiterit; atque ex ipsa non albinianum tantummodo ottoboniani codicis apographum descriptum putamus, sed et omnia, si qua alia uspiam in manuscriptis libris exstent exemplaria.

In nomine sanctae et individVAE TRINITA tis, anno ab incarnatione domini
nostri Iesu Christi MCII., x V DIE KAL DECE mbris, indictione x., tempore domini Gregorii VII. papae,
in lateranensi palatio, in CAPELLA S̅C̅ ae crucis, in praesentia Cencii Frangipane,
Gratiani, Cencii FRAN culini, et Alberici de Petro Leone, et Beniucasa,
fratris eius Vberi t DE THVSCI a, et aliorum plurium. Ego Mathildis, dei gratia
comitissa, pro remediO ANIMAE ME ae, et parentum meorum dedi, et obtuli ecclesiae sancti
Petri, per interventum d N̅I̅ GREGORII PAPAE (1) OM nia bona mea, iure proprietario, tam quae
tunc habueram, quam EA QVAE IN ANT ea acquisitura eram, sive iure succes-
sionis, sive alio qu OCVNQVE IVRE AD M e pertinent, et tam ea, quae ex hac parte
montium habebam, QVAM ILLA QVAE IN VLTRA montanis partibus ad me pertinere
videbantur, omnia sicu T DICTVM EST PER MANVM D̅N̅I̅ G̅G̅ VII. papae romanae ecclesiae dedi, et tradidi,
et cartulam inde fier I ROGAVI SED QVIA CARTV la nusquam apparet, et timeo,
ne donatio, et obl ATIO MEA IN DVBIVM REVOCE tur; ideo ego, quae supra,
comitissa Mathilda, I TERVM A PRAESENTI DIE DONO ET OFF ero eidem romanae ecclesiae
per manum Bernardi card INALIS ET LEGATI EIVSDEM ROMANAE ecclesiae, sicut in illo tempore dedi,
per manum domini Gregorii omni A BONA MEA TAM QVAE NVNC HABEO, quam quae in posterum, deo propitio,
acquisitura sum, et TAM EA QVAE EX HAC PARTE MONT ium, quam in ultra montanis
partibus habeo, quam quae in posterum, deo propitio, acquisitura sum alio quocunque
iure, pro mercede, et remedio animae meae, et parentum meorum. Quae autem ista
mea bona iuris mei superius dicta, una cum accessionibus, seu cum superioribus,
et inferioribus suarum (2) qualiter supra legavi (3) in integrum, ab ea die, in
eadem ecclesia dono, et offero, et per praesentem cartulam offersionis, ibidem habendam,
confirmo insuper per cultellum, festucam nodatam, gantonem, et vascionem terrae,
atque ramum arboris (4); et me exinde foras expuli garpivi, et absentem me
feci, et a parte ipsius ecclesiae habendam reliqui, faciendum exinde pars ipsius

(1) *Gregorii papae* in marmore legitur, non vero *Gregorii papae VII.*, uti leibnitianum et albinianum a Cennio editum apographum habet.

(2) *Suarum*. Aut male ab exscriptoribus verba heic lecta sunt, aut mendum in textu latet.

(3) *Qualiter supra legitur* veram esse ac genuinam loci huius lectionem recte Muratorius vidit.

(4) *Confirmo insuper per cultellum, festucam nodatam, gantonem, et vascionem terrae, atque ramum arboris*. Cum quis praedii alicuius vel donatione, vel venditione omnia sua iura in alium transferebat, ut palam faceret, se rei donatae, vel venditae possessione ac dominio penitus excidere atque excludi, certa quaedam ex legis praescripto, vel ex consuetudine loci peragebat, quibus rudis illa aetas dominii translationem significatam ac testatam voluit. *Cultro*, seu *cultello* in manus tradito dissuendi ac disiiciendi facultas concedebatur: per *festucam nodatam*, hoc est per *baculum*, sive *virgam*, *loro traiecto ornatam*, liberae dominationis auctoritas significabatur, quam rei venditor, sive donator, in alterum conferebat; quod idem *gantone*, videlicet *chirotheca* tradita denotabatur. *Vascionem* denique, sive *wascionem* terrae, hoc est *caespitem*, seu *glebam* (gallice *gazon*), et *ramum arboris* emptori vel donatario in manus tradebant, ut hoc modo *terram*, sive *solum ipsum*, ac praeterea quidquid in eo esset consitum, sese tradere significarent.

ecclesiae: dederit a praesenti die quicquid voluerit (1) sine omni mea, et haeredum, ac prohaeredum meorum contradictione. Si quid vero, quod futurum esse non credo, sive ego comitissa Mathilda, quod absit, aut ullus de haeredibus, ac prohaeredibus meis, seu quaelibet opposita persona, contra hanc cartulam quandoque offersionis ire, agere tentaverimus, aut tam (2) per quodvis ingenium infringere quaesierimus, tunc inferamus ad illam partem, contra quam exinde litem intulerimus, mulctam, quod est poena, auri optimi libras mille; argenti pondera quatuor millia, et quo (3) repetierimus vindicare non valeamus; sed praesens haec cartula offersionis omnibus temporibus firma permaneat, atque persistat, et pergamena cum atramentario de terra levavi, paginae (4) Guidonis notarii tradidi, et scribere rogavi. In qua subter confirmans testibus obtuli roborandam. Actum Canusiae feliciter.

Mathilda dei gratia, si quid est in hac charta a me facta SS. (5)

† Ego Ardericus iudex interfui, et SS.

† Ego Vbaldus iudex interfui, et SS.

Signum manu Attonis de monte Barransonis, et Bonvicini (6) de Canusia rogati testes.

Ego Guido notarius palatii, scriptor huius cartulae offersionis, post traditam complevi et dedi.

Hinc porro evidenter patet, quam male prisca vaticanae basilicae monumenta, vel pretiosissima, disiecta fuerint, ac nullo ordine, sive ob incuriam, sive ob torpem potius artificum ignorantiam, dispersa, cum aedificii novi caussa venerandum illud templum eorum arbitrio permissum dirueretur. Constat enim ex hoc lapide, comitissae Mathildis donationem marmore incisam publice in veteri basilica propositam fuisse, ut clarissimae ac nobilissimae matronae omnibus palam fieret pietas, quotquot ex universo orbe Petri apostolorum principis sepulcrum adirent, atque ut notum simul esset, quo iure bona eius romana ecclesia possideret: eadem prorsus de caussa, ob quam in valvis aereis porticus ante basilicam sitae incisa legebantur nomina singularum civitatum, quas Carolus magnus romanae ecclesiae donaverat. Huiusmodi autem marmor, summa semper cura custodiendum, in plura frusta comminutum fuit ac dispersum, dum novum templum aedificaretur, et pavimento cryptarum sternendo inserviit; ex quo nos praesens fragmentum (quod inversum ibi iacebat) in lucem iterum protulimus, non secus ac ducentis abhinc annis Turrigius aliud ibidem iacens fragmentum inde eximi curaverat, quod iure meritoque pag. 536. ipse adpellat „ *rarissimo et segnalato fragmento.* „ Atque utinam nostris votis ii, quibus vaticanae basilicae cura demandata est, tandem adnuant, ut egesta humo omne templi hypogeum recludatur: probabile enim est, in ea pavimenti parte, quae adhuc latet, inveniri posse reliqua etiam pretiosae adeo tabulae fragmenta!

(1) *Faciendum exinde pars ipsius ecclesiae: dederit a praesenti die quicquid voluerit.* Ad haec ita Leibnitius adnotat. „ Barbarum est pro: *ut faciat exinde pars ipsius ecclesiae, quicquid voluerit.* Vox *dederit* videtur redundare. „ Verum (bona tanti viri pace dictum esto) omnia heic sibi constant, neque quidquam redundat. Si verba singula, prout a nobis factum est, distinguantur, haec erit loci totius sententia: *ut* (mea bona) *exinde* (in posterum) *faciant pars ipsius ecclesiae* (habeantur loco partis, vel portionis propriae ipsius ecclesiae: italice dixeris *facciano parte*: quod barbarum esse ultro cum Leibnitio agnoscimus): *dederit a praesenti die quicquid voluerit*, scilicet det, donet a praesenti die ipsa ecclesia, quicquid voluerit, cuicunque voluerit, ex praedictis meis bonis.

(2) *Aut eam* optime Muratorius ex coniectura legendum putat, quod albiniani codicis etiam auctoritate confirmatur.

(3) *Quod*: ita cum Leibnitio legendum omnino esse palam est, cui et albinianum exemplar adstipulatur.

(4) *Paginam Guidoni notario* Leibnitius legendum censet.

(5) Verbum *subscripsi* (quod per istiusmodi notas SS significatur) huc ex albiniano codice induximus.

(6) *Bonivicini* albinianus codex habet, quod et nos probamus.

AD NVMERVM 75. *Append. tab. VIII. num. 1.*

Recte monet Dionysius pag. 99. lapidem, quo Karolae Cypri reginae sepulcrum nunc operitur, alium esse ab eo, qui superpositus olim eius tumulo cernebatur. In illo enim (uti patet e schemate a Ciaconio edito tom. 3. pag. 123.) exsculpta fuerat regina ipsa iacentis habitu, atque inscriptio in extrema marmoris ora exarata legebatur, cuius tamen pleraeque voces aetate Ciaconii interciderant, quod lapis praetereuntium pedibus detritus esset. Cuius marmoreae tabulae dimidiam fere partem in pavimento inversam invenimus, eamque in aes incisam tabula VIII. Appendicis num. 1. repraesentamus.

AD LITTER. k., k.

Cum veteris basilicae occidentalis pars, novi templi aedificandi caussa, solo aequata fuit, absidem una cum confessione, loci sanctitate cogente, intactam relinqui oportuit. Tota igitur area hexastyli porticus ante confessionem sitae (1) intra aedificium quoddam ipsi absidi adiunctum inclusa fuit, quod ex albano lapide, symmetria dorica, a Bramante incoeptum, atque a Balthasare Peruzzio perfectum ita Vasarius in Bramantis vita tradit. (2) „ *Salvò solo l'altare di san Piero, e la tribuna vecchia, ed attorno vi fece un ornamento di ordine dorico bellissimo, tutto di pietra di perperigno, acciocchè quando il Papa viene in san Piero a dir la messa vi possa stare con tutta la corte, e gli ambasciatori de' principi cristiani; la quale non finì affatto per la morte, e Baldassarre sanese le dette poi la perfezione.* „ Stylobatae, cui aedificium illud insistebat, partes quaedam adhuc adparent et heic, et in boreali cryptarum navi, ubi litteras *n*, *n* adposuimus.

AD LITTERAM L. *Dionysius tab. XXXIV. num. 1.*

Marmoream Christi salvatoris imaginem, quae in altari australis cryptarum navis colitur, Turrigius pag. 285. adfirmat in Bonifacii VIII. monumento exstitisse. Cui fidem iu hoc minime habendam putamus, cum neque in ipsius monumenti, neque in sacelli schemate, in quo monumentum fuit, haec imago usquam adpareat; quemadmodum ex Ciampinii tabula XX. patet, in qua litteris B., et D. sacelli ac monumenti schemata ex grimaldiani codicis folio 28., et 29. delineata repraesentantur.

AD NVMERVM 76. *Dionysius tab. XVII. num. 1.*

Bosius pag. 126. hanc inscriptionem in basilicae fundamentis repertam tradit anno 1610. Cum a fine mutilum sit marmor, non adeo facile est divinare, quam vocem in linea postrema duae litterae NO inchoaverint, nisi cui forte nostra coniectura placuerit, qui supplendum putamus vocabulum NOMINE, uti saepe in christianorum titulis fieri animadvertimus (3). Quod ut novo aliquo confirmemus exemplo, ineditam proferre inscriptionem heic iuvat, quae e suburbano Cyriacae coemeterio an-

(1) Vide Alpharani ichnographiam num. 5., 5.
(2) Vite de' più eccellenti pittori, scultori, e architetti. Siena 1792. tom. V. pag. 153.
(3) Vide Boldettum (*Osservazioni sopra i cimiteri de' ss. martiri*) pag. 79., 275., 428.; et Margarinium (*Inscriptiones antiquas basilicae s. Pauli ad viam ostiensem*) pag. XVI. num. 222.

no superiori prodiit, et in vaticana bibliotheca adservatur. In marmorea tabella palmum circiter unum qnaqnaversum lata, qua ehristianae puellae quadriennis, nomine Anastasiae, loculus claudebatur, rudibus litteris insculpta est hunc in modnm

M ANASTASIAE
FL CAESARIO ET NONIO ATTICO
VV CC CONSS V KAL MARTIAS
Ð MERCVRI ĿXII RECESSIT
DE HAC LVCE PVELLA NOMI
NE ANASTASIA . Q . VIXIT AN
NOS N IIII Ð VI ☧

hoc est: *Memoria Anastasiae.* (1) *Flavio Caesario et Nonio Attico viris clarissimis consulibus*, *v. kalendas martias*, *die mercurii*, *luna XII.*, *recessit de hac luce puella* numine Anastasia, *quae vixit annos numero IV.*, *dies VI.* ☧. Huiusmodi marmora, quae non annum dumtaxat ae mensis diem, sed et hebdomadae feriam, atque *aetatem lunae* designent, non adeo obvia esse quilibet novit. Ut enim celeberrimnm in cathedra statuae saneti Hippolyti paschalem eanonem graece scriptum heie omittamus (2); et *Pascasii* sexennis pueri memoriam in euemeterio beati Castuli inventam, atque a Fabretto editam (3); nee non *Mercurinae* pnellae titulum Lugduni anno 1806. repertum, et a Clemente Cardinalio inlustratum (4), in quibus omnibns praeter anni notam, et mensis diem, feria quoque hebdomadae et lunae aetas vel taeite, vel expresse indicatur: tria tantum hueusque (quantnm quidem sciamus) innotnerunt marmora, quae tot simul chronologicis notis insigniantur. Horum unum doctissimo Lnpii commentario inlustratum (5) *Severae* martyris epitaphium continet, atque ad annum pertinet 269., quo, Claudio et Paterno consulibns, nonas novembres in feriam sextam, luna XXIV., ineidisse tradit. Alterum e coemeterio sanetorum Gordiani et Epimaehi prodiit anno 1714 (6), et in museo capitolino etiamnunc adservatnr. Ad annum vulgaris aerae 364. speetat, Ioviani augusti et Varroniani consulatu insignem, quu diem VIII. idus maias in septimam feriam incidisse docet, ae praeter aetatem lunae (quae die illo vigesima agebatur) situm qnoque eius, hora noctis quarta, in signo Capricorni notat. De quo praeclarissimo marmore fuse disserentem vide Blanchinium in prolegomenis ad vitas pontificum romanorum tum. II. pag. LXVIII. Tertium denique ex itinerario Patrum benedictinorum in nuvo inscriptionum veterum thesauro Muratorius edidit (7), et apograpbum haud indubie vitiusum conieetura non spernenda emendare tentavit. Quibus et noster bic, minimae quidem molis, at magni pretii lapis, quarto deinceps loco est adnumerandus, ob notas chronologicas anni vulgaris aerae 397., qnas prae se fert. Quo quidem anno, ex diversa supputandi ratione, non uno eodemque die, pascha in oriente atque in occidente celebratum fuisse constat. (8) Complures enim occideutalium romani imperii regionnm populi IV. kalendas apriles sollemuem paschae diem egerunt; orientales vero uonis aprilibus; e quorum numero fuisse enm, qui Anastasiae titu-

(1) Titulum sepulcro adpositum, et aliquando sepulcrum ipsum, tum ab ethnicis, tum a christianis *memoriam* vocari consuevisse adeo notum est, ut exemplis non indigeat.

(2) Pretiosissimum hoc monumentum, tam multis doctorum virorum commentariis inlustratum, in vaticana bibliotheca ante Musei sacri fores, Benedicto XIV. sedente, conlocatum fuit.

(3) Inscript. cap. VIII. num. LXX. pag. 577.

(4) Atti dell' Accademia romana di Archeologia, tom. III.

(5) Epitaphium Severae martyris illustratum. Panormi 1734.

(6) Boldetti, osservazioni sopra i cimiteri dei santi martiri, lib. I. cap. XIX. pag. 84.

(7) Pag. 410. num. 4.

(8) Art de vérifier les dates, pag. 8.

lum scripsit, ex eo patet, quod is lunam XII. vigesimae quintae februarii mensis diei adtribuerit. *Flaviis* accensendum *Caesarium* eius anni consulem luculento nostri huiusce marmoris testimonio patet, quod Reinesium erroris arguit, qui Panvinium immerito hac de caussa notavit. (1)

AD NVMERVM 77. *Append. tab. IX. num.* 1.

Marmorea haec tabula, Cancellierio teste pag. 1442., inventa fuit anno 1777., dum fundamentis novi sacrarii iaciendis terra egerebatur. Inscriptionem, quae in ea est, idem refert pag. 1622., num. III., addito in fine huiuscemodi monogrammate ₱; quod tamen in ipso marmore nobis minime invenire contigit, etsi sedulo illud a superinducto tectorio purgatum inspexerimus. Legendam vero ac supplendam ita censemus

*Hic requies*CIT IN PACE TITIANVS VIR SPECTABILIS QVI VIXIT ANNOS
*plus minu*S LX. QVI EST DEPOSITVS III. NONAS
...... AS CONSVLATV FLAVII PETRI VIRI CLARISSIMI

Flavius Petrus anno vulgaris aerae 516. consul in occidente sine conlega processit. Quisnam autem Titianus iste fuerit, vel quonam functus munere, divinare nullo modo possumus: neque in hoc *viri spectabilis* titulus facem nobis ullam potest praeferre, quippe qui in aevi illius monumentis tam multis occurrat, summorum acque ac minorum officiorum proprius, ut de viri dignitate, cui tribuitur, certi quidquam inde colligi nequeat. Mensem etiam, quo obiit, ignorare cogimur, quod syllaba nominis postrema AS septem aeque mensium nonis possit convenire.

AD NVMERVM 78. *Append. tab.* X. *num.* 1, 2, 3.

De veteris basilicae pavimento haec Alpharanus in libro manuscripto pag. II. habet. „ *Pavimentum autem* (basilicae) *magnis, et eximiis marmoribus rotundis ac quadratis, et variarum formarum erat stratum, et variis etiam coloribus albis, porphyreticis, aegyptiacis granitis, et deauratis erat vermiculatum atque exornatum.* „ Quod Onuphrii etiam Panvinii testimonio confirmatur ita scribentis (2) „ *Pavimentum basilicae sancti Petri marmoribus quadris albis, et variis coloribus, variarum etiam formarum, constravit Symmachus papa, ut auctor est Bibliothecarius, sub quo ubique sunt romanorum pontificum, et aliorum clarorum hominum tumuli.* „

Cuius adeo elegantis pavimenti nonnisi minima haec supersunt fragmenta, quae ideo necessarium duximus aere incisa in lucem proferre, ut inde veteris basilicae splendor magis innotescat; atque ut etiam notetur summa illorum incuria (nisi quis potius stultitiam velit adpellare) qui, dum novum aedificandum erat templum, nihili has praeclaras venerandae vetustatis reliquias facientes, pessimo consilio eas interire sunt passi. Nemo enim ignorat, sanctissimi omnium templi eversionem ita properatam, ut nedum de pavimento conservando solliciti fuerint, sed ne columnarum quidem ac marmorum, non parvae molis ac magni pretii, rationem ullam habuerint; quae non adhibitis opportune machinis, singula suis locis removerunt, verum praecipiti casu ad terram impulsa deiecerunt. Bra-

(1) Epist. LXIX. ad Rupertum. „ *Quod Panvinius eum* (Caesarium) *inter Flavios retulit, fecit* ἀμαρτυρήτως, et applaudente nemine. „

(2) De rebus antiquis memorabilibus, et praestantia basilicae sancti Petri apostolorum principis. Cod. vat. 7010. lib. III. cap. II. fol. 73. b.

mantis architecti hanc maxime fuisse culpam res vulgo notissima est, adeoque concordi scriptorum omnium aevi illius testimonio comprobata (quibus inspectantibus, et nequidquam stomachantibus id agebatur), ut summum ceteroquin in arte sua virum a manifesta huiusmodi culpa purgare frustra quidam conentur. Et sane non in vaticani solum templi demolitione tantam edidit monumentorum omnis generis stragem, sed ubicumque aliquid exstruendum suscepisset, vetera illico aequabat solo aedificia, unde passim vulgo *maestro Guastante* et *Ruinante* adpellabatur. Qua de re Ascanii Condivii verba referre non inopportunum putamus. (1) „ *Venuto* (Michelagnolo) *innanzi a papa Giulio, gravemente si lamentò dell' ingiuria, che gli faceva Bramante; ed in sua presenza se ne dolse col papa, scoprendoli tutte le persecuzioni, che egli aveva ricevute dal medesimo, ed appresso scoperse molti suoi mancamenti; e massimamente, che disfacendo egli san Piero vecchio, gittava a terra quelle maravigliose colonne, che erano in esso tempio; non si curando nè facendo stima, che andassero in pezzi, potendole pianamente calare, e conservarle intere: mostrando come era facil cosa a mettere matton sopra mattone; ma che a fare una colonna tale, era difficilissima.* „ Bonannius quoque (2) cum ea, quae sub Iulio II. in novae basilicae aedificatione acta sunt, fuse narrat, haec scribit. „ Vt igitur quantocius fabrica assurgeret, illique locus esset expeditissimus, iussu pontificis veteris basilicae medietas disiecta omnino fuit. Hanc basilicae ruinam aegerrime tulit Michaelangelus Bonarota, quem adhuc iuvenem Iulius Romam accersiverat, ut sibi magnificum excitaret sepulcrum, et zelo inductus Bramantis audaciam accusavit, qui ut citius novam basilicam iuxta suam delineationem erigeret, pretiosas columnas a Constantino erectas, temere prosterneret in plures partes diffractas, cum eas novis aedibus servare posset incolumes. „ Et rursus eodem capite pag. 54. „ Culpa Bramantis familiaris exstiterat, etiam a Vasaro relata, fabricas nimis velociter exstruere, arduaque opera semper moliri, quae ab ingenio excogitata quoquo modo possibilia opinabantur, rationibus nullatenus agitatis. Quam etiam ob caussam cum veteris basilicae parietes ab artificibus dissolverentur *quamplurimae picturae, musiva opera, pontificum virorumque insignium imagines evanuerunt.* „

Totum autem pavimenti tractum, qui ante sacram confessionem est, porphyretico marmore fuisse olim stratum ita docet Grimaldius (3) = „ *Sequens inscriptio reperta fuit anno* 1615, *dum Pauli V. pontificis maximi iussu sacra beati Petri confessio magnificentissime, ut nunc videtur exornata, inchoata fuisset. Sublato antiquo pavimento ante ipsam sacram confessionem, totum* (sic in codice) *ex magnis et crassis laminis porphyreticis strato, reperta est dicta inscriptio in magna tabula marmorea incisa, postea incuria fabrorum fracta, et servatur hodie sub fornice novi pavimenti*

MAESTAE TITIANAE . C . F .

IT . POMPONIAE FADIVLAE . C . F „ =

Porphyreticarum, quas Grimaldius heic memorat, tabularum nonnulla etiam nunc supersunt fragmenta, quibus pavimenti quidam tractus in mediana cryptarum navi sternitur non longe ab altari N. Inscriptionis vero ne vestigium quidem hodie in cryptis adparet; quam in prima praesertim linea male a Grimaldio lectam et exscriptam patet; *Maesiae* namque *Titianae clarissimae feminae* mentionem in illa haberi palam est. (4)

(1) Vita di Michelagnolo Buonarroti §. XXXVIII. pag. 28. Firenze 1746.

(2) Numismata summorum pontificum templi vaticani fabricam indicantia, cap. XII. pag. 50.

(3) Cod. vat. 6438. fol. 57. a.

(4) *C. Maesium Aquilium Fabium Titianum* civem ac patronum coloniae augustae Himeraeorum thermitanae sistit nobis lapis apud Gruterum pag. 433. num. 6; quem anno ab urbe condita 996 (post natum Christum

Neque heic silentio praetereundum est, fuisse in veteri basilica, in medianae navis pavimento inter altaria sanctorum Simonis et Iudae, et sanctorum Philippi et Iacobi (quae duo altaria in Alpharani ichnographia numeris 44. et 45. designantur) magnum quemdam orbem e porphyrite lapide, cuius in Ordine romano Cencii camerarii cap. XLIX. fit mentio, cum de electi imperatoris in vaticana basilica coronatione agitur. (1) Hunc vero porphyreticum orbem suo loco non amotum superesse adhuc testatur Turrigius pag. 520. „ *E' sotto le grotte, ma non si vede per cagione di un muro fattovi da Paolo v., et è per diametro sotto l'arme di detto Paolo, che sta nella volta della chiesa.* „ Quibus plane consonant, quae Severanus scribit. (2) „ *Hoggi questa* (rota) *è restata sepellita nell' istesso luogo, tredici palmi sotto il pavimento nuovo, cioè dove perpendicolarmente soprasta l' arme di Paolo v., che*

245.) consulem fuisse cum imperatore M. Iulio Philippo fasti, et marmora docent. (Vide Spon. Miscellan. erud. antiq. sect. III. pag. 98.) Unum eumdemque hunc esse opinamur cum *Maesio Fabio Titiano, clarissimo puero*, cuius apud Castellum (*Siciliae et obiacentium insularum veterum inscriptionum nova collectio.* Panormi 1784.) tum thermitana inscriptio pag. 57. num. XXXVIII. meminit, tum panormitana haec pag. 34. num. XXI.

IMP . CAESARI

M . AVRELIO . ANTO

NINO . AVG . TRIB . POT

P *ro* COS . IMPERATORIS

cae S . L . SEPTIMI . SEVERI . PII

PER *tinac* IS . AVG . ARABICI

A *diabeni* CI . PARTHICI . MAXI

MI . F . DIVI . M . ANTONINI

PII . *ger* MANICI . SARMATICI

NEPOTI . DIVI . ANTONINI . PII . PRO

nepot I . DIVI . HADRIANI . ABNEPO

ti . *divi* TRAIANI . PARTHICI . ET . DI

vi . *Ner* VAE . ADNEPOTI . INDVL

genti SSIMO . ET . CLEMENTISSI

MO . PRINCIPI . DOMINO . N̄

MAESIA . FABIA TITIANA

C . F . ET

MAESIVS . FABIVS TITIANVS

C . P .

Qui enim anno ab urbe condita 951, (ad quem hanc inscriptionem referendam esse notae chronologicae ostendunt) *in pueris* adhuc erat, facile post annos septem et quadraginta ad consulatum pervenerit, annos ut plurimum natus sexaginta. Si quis autem ad *Maesiam Fabiam Titianam clarissimam feminam*, in panormitano marmore memoratam, epigraphen ante sacram confessionem inventam pertinere contendet, is profacto sententiae suae noverit nos minime adversari.

Atque heic obiter notamus, *T. Flavium Postumium Titianum Varum* anni 1051 ab urbe condita consulem, pronepotem fuisse ac sectatorem *Iulii* illius *Titiani*, quem *oratorem utraque facundia maximum* (huiuscemodi elogio in romana inedita inscriptione condecoratur) omnigenis aditis scriptis inclaruisse suo aevo constat. (Videsis Gerardum Ioannem Vossium de historicis latinis lib. 2. pag. 172. edit. lugd. bat. 1651.) Insignem illum oratorem pluribus nominibus, pro sui temporis more, *M. Iulium Postumium Festum Titianum* adpellatum fuisse certis (nisi fallimur) argumentis in nostris ad vaticanas inscriptiones commentariis demonstrabimus.

(1) Mabillon musei Ital. tom. II. pag. 216. „ *Orationem vero secundam debet episcopus portuensis recitare inter ecclesiam beati Petri* in medio rotae. „ Similiter in Ordine romano Iacobi Caietani cap. CV. pag. 399. „ *Cum autem intra ecclesiam* in medio rotae *pervenerit* (imperator), *portuensis episcopus hanc orationem super ipsum decantet : Deus inenarrabilis auctor mundi etc.* „

(2) Memorie sacre delle sette chiese di Roma, parte I. pag. 128.

è nella volta della chiesa. (1) „ Quae Turrigii ac Severani verba satis perspicue indicant, veteris basilicae pavimentum integrum et intactum, fornice tantum super ipsum structo, Pauli v. tempore fuisse relictum, quando nova basilica longius orientem versus fuit producta. Si enim, nulla ad id necessitate cogente, magnum porphyretici marmoris orbem infra novum pavimentum latere sunt passi, cur non reliquas etiam pavimenti veteris partes intactas reliquerint?

Vetus porro pavimentum, foede in basilicae eversione vastatum, a Gregorio xiii. utcunque deinde instauratum fuisse, adhibitis, quaecunque ad manus erant, marmoribus, testatur Grimaldius, cum T. Flavii Constantis inscriptionem refert. (2)

= „ D . M
T FLAVIVS CONSTANS PP SIBI ET
SVIS LIBERTIS LIBERTABVSQVE
POSTERISQVE EORVM
SE VIVVS INCHOAVIT ET FLAVII
SABINVS ET CHRESTVS LIBERTI
HEREDES EIVS CVM MACERIA
CLVSVM CONSVMMAVERVNT

La sudetta iscrittione di Tito Flavio Costante prefetto del pretorio (3) *fu levata l'anno* 1616. *a di primo di ottobre dal vecchio pavimento di san Pietro avanti la Gregoriana sotto le volte del novo pavimento, dove era stata a caso posta in tempo di Gregorio xiii.*, che per la rovina della vecchia chiesa essendo guasto affatto l'antico pavimento di opera vermiculata, lo fece al meglio che si poteva *per modum provisionis et ad tempus* lastricare di più marmi; *fu levato di detto luogo fattone parola con il signor canonico Vbaldino sacristano maggiore, non stando bene detta pietra profana avanti il sacratissimo altare di san Pietro, ancorchè in luogo sotterraneo, et detta pietra l'ebbe l'illustrissimo et reverendissimo signor cardinale Cobelluccio.* (4) *È notabile del proprio nome* Chrestus, *che così chiama Cornelio Tacito il Salvator nostro etc.* „ =

Grimaldium vera scripsisse nuper compertum est, cum, pavimenti saxis fere omnibus inversis, quamplurima reperta sunt omnis generis fragmenta ex veteris basilicae ruinis ac ruderibus ad illud sternendum temere ac promiscue tunc temporis adhibita. De quibus fragmentis vide quae a nobis dicta sunt in adnotatione, quam Tabulae ichnographicae explicationi pag. 10. subiecimus.

AD NVMERVM 80. *Dionysius tab. xli.*

De beatae Virginis imagine, quae cum vetus basilica dirueretur, Nicolai Acciaioli cura servata fuit, et in hemicyclo circa sacram Confessionem locata prope pictam sancti Xysti papae i. imaginem, haec tradit Turrigius in prima sui operis editione viterbiensi anni 1618. pag. 35. „ *Dal destro lato* (imaginis videlicet s. Xysti pontificis) *vi è una imagine grande di Maria vergine col figliuolo Ge-*

(1) Paulus v., ampliata basilica, in summo partis adiectae fornice Burghesiae gentis stemma insculpi voluit, ut perfecti a se operis documentum apud posteros esset. Huiusmodi stemma, de quo Turrigius ac Severanus loquitur, frustra nunc in basilicae testudine quaesivaris, quod eo abraso Pii vi. stemma eius loco fuerit insculptum.

(2) Cod. vat. 6438. fol. 49. a.

(3) Cave, ne cum Grimaldio T. Flavium Constantem praefectum praetorio credas: notae enim PP. *pecunia propria* monumentum exstructum significant.

(4) Exstat adhuc marmorea haec tabula parieti adfixa una cum aliis inscriptionibus, qua ex basilicae sacrario in sacellum Chori est aditus. Litterarum D. M., quae Grimaldii aetate in prima linea legebantur, hodie in marmore vestigia dumtaxat supersunt, cum data opera scalpro fuerint abrasae. Vide quae infra ad numerum 113. adnotamus.

sù in braccio , dipinta già da Iotto pittore famoso nel tempo di Bonifatio VIII. , e stava all' altare de' santi Processo , e Martiniano nella basilica vecchia sotto l'organo : al tempo di Paolo III. fu adornata da Niccolò Acciaiolo fiorentino , onde si legge così in una lapide qui affissa in lettere d' oro INSTINCTV PIETATIS *etc.* „ Quae ipsamet verba in romana editione anni 1635 pag. 41. leguntur , singulari profecto auctoris oscitantia , qui , cum secundam illam sui libri editionem curaret , imprudens ea verba retinuit , quae tollenda omnino erant. Pagina enim 125. diserte narrat imaginem illam anno 1628. , dum aditus in sacras cryptas sub Andreae apostoli statua exstrueretur, ita minute confractam fuisse , ut instaurari amplius non potuerit , atque eius memoriam dumtaxat remansisse in Nicolai Acciaioli inscriptione suo potissimum studio servata.

AD NVMERVM 81. *Appendicis tab.* IX. *num.* 3.

In veteris sacrarii fundamentis inventum fuisse hoc marmor ex Cancellierio discimus , qui primus inscriptionem vulgavit pag. 1804. nullo inlustratam commentario , neque admodum accurate delineatam , ut quisque facile deprehendet , si nostrum cum eius exemplari conferat. Eam ita legendam putamus

✝ IN NOMINE DOMINI AMEN . ANNO
DOMINI M CCC XXVII
HOC OPVS FECERVNT
FIERI LELLVS MIL*glius*.
ET PETRVS DE NO-
ILGIE DE PECVNIA
VICARII VRBIS .

Qualenam fuerit opus illud , cuius in marmore fit mentio , nullo pacto divinare possumus , cum pauca supersint tenebricosi illius temporis scripta , unde nedum vaticanae basilicae , sed neque ipsius romanae urbis historia quoquo modo possit inlustrari ; quam intestinis laceratam discordiis ac summorum praeterea pontificum absentia in humillimum redactam fuisse statum constat. Veri tamen simile nobis videtur muri alicuius in veteri sacrario exstructi , vel cuiuspiam aedificii prope illud siti memoriam in hac marmorea tabella haberi , quae ut documento posteris esset in illius fundamenta (quemadmodum fieri semper solet) coniecta fuerit. Si diligentius locum ipsum Cancellierius indicasset , ubi lapis repertus fuit , de opere quod in eo memoratur , non ita difficilis foret coniectura.

Lellum (*Laelium* nempe), quem primo loco nominat marmor , civem romanum e familia de Milglis fuisse non est dubitandum. Fuit enim in veteri basilica altare martyri Laurentio sacrum, quod Lellus de Milglis de regione Parionis dotaverat , cuius in ichnographia situm Alpharanus numero 110. designat , atque in manuscripto libro haec de illo adnotat. „ *Altare s. Laurentio martyri consecratum , a. Lello de Milglis de regione Parionis dotatum.* „ Quae porro et quanta fuerit altaris illius dos , basilicae martyrologium ad diem XVI. kalendas octobres ita singillatim docet. „ *Isto die obiit nobilis vir Lellus de Milglis de regione Parionis , qui dimisit per manus Symeonis Iohannis Symeonis notarii de dicta regione nostrae basilicae pro anima sua et suorum parentum unum palatium suum columpnatum* (1) *terrienum et soleratum* (2) *cum*

(1) *Columnatae* dicebantur domus , quae vel in aditu , vel per totam frontis longitudinem porticum columnis suffultam haberent , cuiusmodi sunt Maximorum aedes prope templum divi Andreae de valle , et bina in Capitolio palatia , ac permultae aliae , tum Romae , tum extra urbem , antiquae domus , in quibus columnae adhuc supersunt , etsi porticus forma in plerisque evanuerit , quod muro exstructo columnarum intervalla fuerint clausa.

(2) *Solarium* generatim *tabulatum* denotat : unde fit , ut de domuum aeque ac de navium contignationibus dicatur. Hinc *solariata* , seu *solarata* domus ea est , quae unum vel plura habet solaria , sive quae

cameris et salis infra se, positum in dicta regione: et unam domum iunctam dicto palatio retro se positam in regione Arenulae cum cameris et salis terrienis et soleratis. Item etiam dimisit nostrae basilicae dimidium casale, quod dicitur Vucticella, positum extra portam Pertusi, quae domus et dictum casale assignatae fuerunt nomine dictae basilicae venerabilibus viris dominis T. de Catellinis, et P. de Perleonibus per nobilem virum Nutium de Nigris executorem dicti Lelli, prout patet manu Symeonis Scaphi dictae basilicae beneficiati notarii publici. Et dimisit et in sua testamento reliquit omni hebdomada poni per Capitulum dictae basilicae ad tabulam (1) tres missas dicendas in altare sancti Laurentii iuxta capellam sudarii per canonicos, beneficiatos, et clericos; et quod fieret omni anno in die obitus sui anniversarium pro anima sua et suorum parentum. Verumtamen solvit camera nostra pro dote uxoris dicti Lelli CCL. *florenos auri, qui obligati erant in dictis domibus et casali monasterii sanctae Mariae novae, cui dicta uxor reliquerat, prout patet manu Laurentii Leonis de Sang. (2) Expendantur pro eius anniversario floreni auri tres.* „ = Exstat adhuc in basilicae archivo testamentum *Lelli de Milglis*, quod cum die tertia iulii anno 1373. ab ipso factum fuerit, patet eum non alium esse a *Lello de Milglis*, cuius in lapide nostro fit mentio. Romanae autem gentis, ex qua Lellus ortus erat, verum nomen *de Miglis*, vel *de Millis* fuisse opinamur, et eosdem esse *de Millis*, ac *Millinos* persuasum habemus. Et sane avitas *Millinae* gentis aedes in regione Parionis esse sitas omnes norunt; (3) in qua pariter urbis regione erat domus, quam *Lellus de Milglis* vaticanae basilicae donabat. Praeterea in ecclesia sanctae Mariae de Populo sacellum et sepulcra *Millinae* gentis videmus; et in eam quoque ecclesiam Ioannes *de Millis*, legum doctor celeberrimus et sacri consistorii apostolici advocatus, cum Florentiae aegrotaret, *si decedere* contigisset, suum cadaver transferri testamento iubebat anno 1435: ea videlicet mente, ut in avito sepulcro conderetur. Hoc ex eius testamento colligimus, quod a Thoma Veranio secum communicatum edidit Tiraboschius (4); ex quo et domum atque hortum in regione

unica vel pluribus exstructa contignationibus in altum adsurgit: *terrena* vero, sive *terrinea* vocatur, quando omnes eius partes *plano* (ut ait Vitruvius) *pede* adiri possunt. Significatur quoque aliquando per vocem *solarium*, magnum illud cubiculum, quod vernaculo dicimus *sala*, et *salone*, qui locus nobilissimus erat, et picturis ac marmoribus maxime ornatus, ut ibi aedium dominus eos exciperet, qui se visendi vel conloquendi gratia adirent: quam ob caussam camino quoque peramplo erat instructus, unde alterum ei nomen provenit *caminata*. Vt plurimum vero quaelibet domus cuiusvis contignationes hoc vocabulo denotantur; cuius usus cum innumera fere exempla suppetant, unum hoc adtulisse sit satis, ex divi Bernardi opusculo, quod de vita et rebus gestis s. Malachiae Hiberniae episcopi ad Congamum abbatem scripsit (Tom. I. col. 689. edit. Paris. anni 1690.) „ interea iubet (*s. Malachias*) se sacro oleo ungi. Exeunte conventu fratrum, ut sollemniter fieret, non sustinuit, ut ad se adscenderent; ipse descendit ad eos. Iacebat siquidem in *solario* domus superioris. Vngitur, et sumpto viatico fratrum se orationibus, et fratres commendans deo ad lectum revertitur. Alto de *solario* descendebat pedibus suis, et rursum nihilominus suis pedibus ascendebat: et dicebat mortem esse in ianuis. Quis hunc hominem crederet moriturum? „

(1) Quid sit *missarum tabula* discimus ex diario romano, quod Antonius Ioannis Petri vaticanae basilicae beneficiatus conscripsit ab anno 1404. usque ad annum 1417. In eo haec ad annum 1407. adnotantur (Murator. Scriptor. rer. italicar. tom. XXIV. pag. 983.) „ Die martis duodecima supradicti mensis „ (*iulii* videlicet) fuit positus absens de die octavo Stephanus Pauli Rodi de mandato dominorum canoni- „ corum, et vicarii, ac etiam dominorum syndicorum, videlicet domini Petri de Paulis, et domini Mat- „ thiae de Tostis, qui defraudavit tempore sui camerariatus, videlicet vinearum in anno domini, ut su- „ pra, libras sexaginta provisinorum senatus, et dicti domini syndici condemnaverunt eum in tridupium. „ item etiam positus est absens in *tabula missarum*, et hoc fuit mandatum post missam maiorem. „ Patet igitur tabulam publice propositam fuisse in sacrario basilicae, quae singulorum canonicorum et clericorum nomina contineret, in qua praeterea notabantur missae a singulis celebrandae ob ea beneficia, quorum reditus sibi adtributi fuissent. Quoties autem canonicus quispiam vel clericus, caussa non legitima, abesset, publice *absens* in ea tabula notabatur. Frustra de hac voce quidquam in Macri Hierolexico quaesiveris.

(2) Legendum *de Sanguineis* nemo negaverit, qui romanam hanc gentem novit, cuius aedes in regione Parionis sitae, neque multo interiecto spatio a Millina turri distantes, loco nomen fecerunt.

(3) Ab eorum turri, quae etiamnunc superest, locus *Torre Millina* adpellatur.

(4) Storia della letteratura italiana, tom. VI. part. II. pag. 342, et seqq. edit. rom. 1784.

Parionis habuisse *Ioannem de Millis* docemur. Aut igitur miro quodam casu haec fortuito inter se congruere, et convenire dicendum est, aut Lellum *de Millis*, et Ioannem *de Millis* iurisconsultum ad *Millinam* romanam gentem omnino pertinere. (1)

Petrum quemdam *de Noilgie* commemorat praeterea inscriptio, de quo din multum inquisivimus, ut expiscaremur, quis et unde fuerit. Si quid autem ex nomine coniicere licet, suspicamur eum gente gallum fuisse, nobilissima ac vetustissima familia *de Noailles* in Lemovicis ortum; qua in re si verum coniectura adsequimur, Petri huius pater habendus erit *Elias de Noailles*, primus huius nominis comes; frater vero *Guillelmus* ille, cui post Ioannis XXII. obitum, cum Avenionem cardinales ad novum eligendum pontificem convenissent, conclavis custodia demandata fuit anno 1334. (2) Quod si quis miretur, quare gallicum nomen *Noalliae*, sive *Noagliae*, in *Neilgie* commutatum fuerit, meminerit is, voces cuiuslibet linguae proprias, quoties eae ad alios populos transeunt, mirum in modum depravatas a genuina forma plerumque ita recedere, ut vix agnosci possint. Atque ut ab Italia nostra longius non discedamus, nonne pravae huius pronunciationis exempla suppeditant regionum quarumdam incolae, apud quos vocabula *figlio, meglio, egli* atque his similia, permutata consonantium litterarum sede, *filgio, melgio, elgi* passim pronunciari audimus?

Ad *vicarium urbis* quod adtinet, cuius pecunia opus factum fuisse inscriptio ex nostra interpretatione docet, is profecto non alius fuerit, nisi aut Paudulphus Anguillariae comes, aut Annibaldus de Annibaldis, qui Roberti Siciliae regis, ac Romae senatoris vicem hoc ipso anno 1327. gerebant, et *regii vicarii* adpellabantur. Robertum enim iam inde ab anno 1316. Romae senatorem praefecerat Ioannes XXII., ut urbem per calamitosa illa tempora seditionibus continuis tumultuantem in officio contineret. Litterae, quas ipsi ad pontificem Avenione commorantem miserunt, ut Romam ad populum sanctae sedi devotissimum veniret, atque insanos Ludovici bavari impetus retunderet, huiusmodi titulum prae se ferunt. (3) „Epistola Pandulphi comitis Anguillariae, et Annibaldi de Annibaldis *regiorum in urbe vicariorum* ad Ioannem XXII. „

AD NVMERVM 82. *Append. tab. IX. num. 2.*

In veteris sacrarii pavimento hoc epitaphium inversum exstitisse Cancellierius testatur, qui primus illud pag. 1629. num. XIV. non sine mendis vulgavit. In recentiori basilicae martyrologio ad diem XII. kalendas augustas haec de episcopo isto habentur. „ *XII. kalendas augustas anno a nativitate domini M.CCCC.V. indictione XIII. mensis iulii die XXI. Obiit reverendus pater et dominus dominus Antonius de Viterbio, princeps et episcopus firmanus, relinquens nostrae basilicae omnes domos suas positas in regione Pineae, volens distribui pensionem ipsarum in XII. anniversaria celebranda singulis mensibus manualiter inter canonicos, beneficiatos, et clericos. Ipsis anniversariis pro anima sua expendatur duodecima pars ipsius pensionis manualiter isto die.* „ (4) Atque aliis etiam in mensibus die XXI. haec in eodem martyrolo-

(1) De Millina gente multa apud Alverium invenies (*Roma in ogni stato*) part 2. pag. 44. et seqq.

(2) Benedicti XII. vita a Baluzio edita in vitis Paparum avenionensium, tom. I. pag. 219. „ Anno domini 1334., idibus decembris, cardinales omnes includuntur, numero XXIV., per comitem Novalium, in palatio avinionensi, in quo papa Iohannes decessit. „ Ad quae Baluzius pag. 827. haec adnotat. „ *Noalliarum* dominos erat *Guillelmus*, quem anno 1346. fuisse capitaneum, et gubernatorem provinciae lemovicensis, et obiisse circa annum 1347. reperimus in vetustis monumentis illius gentis. Patrem habuerat *Heliam* filium Hugonis, et Luciae Combornensis, nepotem vero Petri et Helidis Rogeriae amitae Clementis VI. „

(3) Raynaldus in annal. ecclesiast. ad annum 1327. num. V.

(4) In vetustiori martyrologio eadem paullo aliter ad eam diem ita adnotantur. „ *XII. kalendas augustas. In nomine domini amen. Anno domini millesimo quadringentesimo quinto obiit reverendus in Christo pater et dominus dominus Antonius de Viterbio episcopus et princeps firmanus relinquens nostrae basilicae omnes domus suas positas in regione Pineae, in parochia sancti Cosmati: pro anniversario suo expendatur duodecima pars pensionis ipsarum domorum manualiter ipso die, sicut in suo testamento voluit observari.* „ De parochiali ecclesia sanctorum Cosmae et Damiani, quae fuit ex adverso sancti Ioannis de Pinea, vide Martinellium (*Roma ex ethnica sacra*) cap. XII. pag. 353.

gio adscribuntur. „ *Fiat anniversarium bonae memoriae pro rev. in Christo patre, et dno dno Antonio de Viterbio olim principe, et episcopo firmano, in quo expendatur inter canonicos, beneficiatos, et clericos manualiter duodecima pars pensionis domorum relictarum per eum nostrae basilicae isto die.* „ Qui plura nosse cupit de insigni hoc viro gravissimis in negotiis toto suae vitae tempore versato, adeat ia Michaelis Catalanii commentarium *de ecclesia firmana*. Ceterum adeo mutilum ad nos pervenit hoc epitaphium, nt illud divinando potius, quam probabili aliqua coniectura restituere quis audeat; quod tamen praestare utcunque ita sumus conati

*Marmorea praesul iacet hac tumula*TVS IN VRNA
*Contigit AntonI, cui sacri in fo*NTE LAVACRI
Imponi nomen, genuit quem clara VITERBVM
*Vrbs, qui praeclara splenden*S AB ORIGINE NOM*en*
*De Vetulis genuit, culpa*S PIETATE REMICTE*ns*
*Vita ob virtutes excel*SAS TVTVS IN OMNI
*Doctorem luget legu*M VENERANDA FACVLTA*s*
*Vrbs firmana patre*M LETATVR SPIRITVS ASTRIS (1)

Nemini vero mirum id, ct insolens videatur, inter ceteras viri huius laudes illud praecipue commemorari, quod *legum doctor* fuerit. Nam praeterquam qnod in summo semper honore apud omnes habita sit iuris et legum prudentia, constat certe adeo nostrum episcopum huiusmodi titulo fuisse delec tatum, ut cum Firmi episcopale palatium aedificasset, hanc in eius fronte inscriptionem posuerit (2)

† REVERENDVS : IN : XPO : PATER : ET : D
OMINVS : DNS : ANTONIVS : DE : VETVLIS .
DE VITERBIO : LEGVM : DOCTOR : DEI :
GRT : EPVS : ET : PRINCEPS : FIRMANꝰ :
COSTRVI : FECIT : HAS : EPLES : DO
MOS : IN : HONOREM : VIRGIS : GLOSE : AN
NO : D : M : CCC : LXXXXI : DIE XV : MS : IVLII

Artificis nomen, qui defuncti episcopi imaginem sculpserat, vel monumentum elaboraverat, una cum deperdita marmoris parte periit, idque unum de ipso scimus, Gualdo Vmbriae pago eum fuisse ortum, quod verba in postrema linea versibus subiecta indicant.

Quo autem anno Antonius de Vetulis fato functus est, eodem etiam Romae obiit integro ante illum mense, Franciscus Carbonus S. R. E. cardinalis, episcopus sabinensis, ac summus poenitentiarius, cuius corpus Neapolim translatum in cathedrali ecclesia sepultum fuit. Eius epitaphium a nobis illa in urbe olim exscriptum heic lectoribus sistere a re alienum non putamus, quod utriusque elogii auctor idem (nisi valde fallimur) nobis fuisse videatur

† CLARVS . IN . EXCELSA . CARBONVM . PARTHENOPEA
INGENVA . TELLVRE . SATVS . DE . STIRPE . COLVNNAS
INTER . APOSTOLICAS . VELVT . IGNE . MICANCIVS . ASTRVM .
CARDINEIQ . CHORI . LVX . GLORIA . SPES . QVOQVE . MVLTIS
CVI . SABINENSIS . APES . *(sic)* TITVLVMQ . SVSANNA . OEDERE
CRIMINA . QVI . LAVACRO . LAXARAT . CVNCTA . SECVNDO

† ET . PIVS . IN . CVNCTIS . SOLERSQ . AD . MISTICA . REBVS
CONSILII . PROBITATE . NITENS . OVXQ . ORDINIS . ALTI
CORPORE.MARMOREA.IACET.HAC.FRANCISCVS.IN.ARCHA
LETVS . IN . ETHEREA . PLAVDIT . SET . SPIRITVS . AVLA
ANNO . MILLENO . DOMINI . QVINTO . QVATRICENO
OCTENA . OENAQ . DIE . IVNII . REQVIEVIT

(1) De hac inscriptione ita Catalanius pag. 227. „ Dolendum sane minime integram ad nos pervenisse: at simul mecum ridebis, opinor, in sepulcrali titulo de hominis *astutia* mentionem iniici. „ Astutiae potius, quam sollertiae caussa (vel metri lege cogente) insignem virum laudari, adeo mirum nobis quoque visum est, ut supplemento nostro in sexto versu epitaphii sensum in melius detorquere tentaverimus.

(2) Ex marmore ipso, quod suo in loco adhuc superest, describendam nobis curavimus, cum parum accurata a Catalanio editam comperissemus.

AD NVMERVM 83. *Dionysius tab. XLII. num. 1.*

Ad Leonis magni pontificis tempora referendum hoc metrici epitaphii fragmentum Turrigius censet; verum cum nullis prorsus argumentis probet saeculo potissimum quinto, neque ante vel postea, inscriptionem exaratam, liceat in hoc nobis ab eo dissentire. Ac nos quidem tertio post natum Christum saeculo epitaphium recentius esse opinamur; quibus tamen circumscribatur terminis marmoris aetas, definire certo non possumus. Rarum admodum apud christianos in epitaphiis conscribendis carminum fuisse usum, primis maxime tribus vulgaris aerae saeculis, ratio ipsa et conditio eorum temporum suadet: cum enim, gravissimorum insimulati criminum, omnibus invisi atque exosi, ad necem passim a furenti populo deposcerentur, neque vel abditissimis in locis, et in ipsis fere terrae visceribus latentes, satis tuti ab ethnicorum indagine esse possent, quis credat eos tantum otii habuisse, ut carmina sepulcrorum titulis inscribenda meditarentur? Nonnulla tamen e sacris circa urbem coemeteriis prodierunt marmora, quae versus rudi minerva conscriptos continent, et ad prima saecula referri posse videntur: cuiusmodi sunt *Eucharistiani* titulus, et *Maximi*, quos in coemeterio Callisti repertos vulgarunt Boldettus (1), ac Fabrettus (2); *Theclae* ex divae Agnetis coemeterio inscriptio ab Aringhio edita (3); et duo haec vaticani musei epitaphia

In tabula marmoris carystii.

A ☧ ω.



HIC IACET INFELIX PROPRIO CICERCVLA NOMEN
INNOCENS QVI VIX SEMPER IN PACE QVIESCAT
CVI CVM BIS BINOS NATVRA VT CONPLERET ANNOS
ASTVLIT ATRA DIES ET FVNERE MERSIT ACERBO

In marmorea tabella.

TER BINAS HIEMES FESTINA LVCE PEREGIT
HVC VENIENS PLACIDO POSVIT PIA MEMBRA SEPHVLCRO (*sic*)
HANC IN AETERNO SIBI SEDEM CONSTANTIA QVAERENS

Pessima in utroque marmore litterarum forma, incerti sunt earum ductus: e coemeterio Cyriacae utrumque prodiisse testatur Marinius, qui alterum quidem edidit in notis ad Acta fratrum arvalium pag. 827., alterum vero pag. 31. commentarii in inscriptiones, quae in aedibus albanianis servantur.

AD NVMERVM 84. *Append. tab. VIII. num. 2.*

Cum de sanctissimae Trinitatis sacello ad numerum 24. verba fecimus, in eo sepulcrum habuisse basilicae Beneficiatos animadvertimus. Quod et Alpharanus in schedis pag. 50. his verbis innuit. „ *Nella cappella della santissima Trinità, et di s. Cosmo et Damiano, cappella delli Beneficiati, in mezzo sono doi sepulturi al pavimento. Il titolo SEPVLCHRVM BENEFICIATOR.* „ Hoc igitur marmor, quod in pavimento medianae cryptarum navis exsistebat in plura frusta, diversis in locis sita, comminutum, cum agnosceremus sepulcro illi claudendo inserviisse, removendum

(1) Pag. 54. et 383.
(2) Inscription. cap. VIII. num. LXVI. pag. 577.
(3) Tom. II. pag. 169.

inde, et fragmentis in unum iunctis muro adfigendum curavimus. Et cum in postica eius facie sculptum antiquitus fuerit crucis symbolum, cui bini palmae rami subsunt, eam quoque faciem aere incisam repraesentamus, quod sacro cuipiam usui olim destinatum fuisse marmor veri simillimum videatur.

AD NVMERVM 85. *Append. tab. xi.*

Metricum hoc epitaphium duobus constat fragmentis, quorum unum ligneis formis non valde accurate expressum edidit Cancellierius num. v. pagina 1627. inter inscriptiones christianas in pavimento et fundamentis sacrarii veteris repertas, neque quidquam omnino adnotavit, ex quo ipsum saltem, ubi inventum fuit, locum scire possemus. Alterum vero fragmentum, in quo singulorum versuum extremae voces habentur, unde et quando in lucem prodierit, ignoratur; nam neque apud Cancellierium, neque apud alium quempiam editum reperitur. Veri tamen simile est in veteri sacrario exstitisse, atque inter illius rudera repertum, aliquot annis post editum Cancellierii opus fuisse tandem in vaticanas cryptas inlatum. Nos muro ibi iampridem adfixum deprehendimus: et cum duo haec fragmenta diversis plane in locis sita essent, primi omnium animadvertimus coniungenda simul esse, atque epitaphium totum ex coniectura ab initio, et in medio supplevimus. Vtrum bene nobis in hoc successerit, iis iudicandum relinquimus, qui harum rerum periti, quam difficile opus hoc sit, probe norunt. Quare heic epitaphium ipsum, prout nunc in vaticano hypogeo, coniunctis simul opera nostra fragmentis, legitur, cum supplemento integrum sistimus

Hic iacet ILLE BONVS VITE *mer*ITO VENERANDVS
*Legum Fe*RRANDVS LVX *indu*BIEQVE PATRONVS

*Qui gente h*YSPANVS FVIT OR*ato*RQVE BENIGNVS
*Moribus u*RBANVS ET LAV*de pe*R OMNIA DIGNVS

Clarus DOCTRINA DETE*stat*OR VICIORVM
*Semper e*GENORVM LANGV*oris* ERAT MEDICINA

Iustitiae FORTIS PVGIL H1*c athl*ETAQVE CONSTANS
Contemptor MORTIS CLERI *simul ho*STIBVS OBSTANS

Dum pecudes SEQVITVR PASTOR *bonus* ECCLESIARVM
*Errantes m*ORITVR MVNDVM*que re*LINQVIT AMARVM

*Mortuu*S ANTE PEDES SAN*ctoru*M TRADITVR EDES (*)
*Petri Pau*LIQVE QVIA SE CO*mmi*SIT VTRIQVE

*Ergo Pet*RE, POLI SIBI LIM*en cl*AVDERE NOLI
Tu quoque fac PAVLE SIT CELI *in sedibus aulae.*

Atque utinam nobis diu multumque frustra pervestigantibus aliquid invenire contigisset de hoc Ferrando, sive Ferdinando, natione hispano, in beati Petri basilica, loco maxime conspicuo sepulto, in pavimento scilicet ante Confessionem, quemadmodum postremi versus innuere videntur

Mortuus ante pedes sanctorum traditur, aedes
Petri Paulique, quia se commisit utrique.

(*) Vt posterius hemistichium ὁμοιοτέλευτον esset cum priori, vocem *aedes* primo casu, non sexto, uti par erat, efferre maluit inficetus carminis auctor.

Episcopali certe dignitate fuisse insignitum, nisi valde fallimur, ex nono versu colligitur; singulari autem doctrina, et morum probitate, ac praecipuo zelo emicuisse reliqua elogii verba perspieue indicant. Proinde quisquis de hoc viro, (quem XIII., vel XIV. saeculo vixisse putamus) aliquid, qualecunque tandem illud sit, proferre in medium potuerit, is gratissimam sane rem nobis praestiturum se sciat.

Notandum porro est, eam saeculo praesertim XIII., ac XIV. consnetudinem obtinuisse, ut sepulcra humi posita (*tombe terragne* italicae poeseos princeps haec sepulcra adpellavit) (1) operirentur marmorea tabula, quae defuncti effigiem sive exsculptsm, sive delineatam referret; circumcirca autem in tabulae huius extrema ora mortui nomen atque aetas adscriberetur, saepissime vero in alio marmore ad pedes iuxta posito adderetur praeterea elogium versibus conscriptum. Quod, ut innumera omittamus exempla, factum videmus in sepulcro Petri Nicolai Iacobi, romani iurisconsulti, quod in antiquissima s. Salvatoris de Cupellis ecclesia adhuc exstat: in sepulcralis namque marmoris margine haec legitur inscriptio

HIC REQIESCIT (*sic*) CORPVS EXCELLENT

ISSIMI LECVM DOCTORIS D̄O̅Ī PETRI NICOLAI IACOBI DE VRBE. QVI

OBIIT. A̅N̄O. D̄N̄Ī. M̄. CC̄C. LXXXXIII.

PONT̄. D̄N̄I B̄O̅N̄. P̄P̄. IX. ĪN̄D̄. I. M̄. IVNII. DIE. V. CVI̓ A̅Ī A̅ REQVIESCAT. Ī. PACE...

Cui eloginm huinscemodi in alia adposita marmorea tabula subiicitur

† CLAVDITVR HVIC (*sic*) TV̄MO LECVM VENE
RANDA POTESTAS. ANCLITE (*sic*) FAME
PETRI COLE IACOBI ROMVLEANHI (*sic*)
VIRTVTVM COMES SCELERVM.
RICIDVS REP̄S̄O̅R (2) EXTITIT ET
VRBIS OMNĪ DECORATVS HONORE
HIC ANIMAM CELO. REDDIDIT OSSA
TERRE VIRTVTVM FAMAM PER
VNIVERSVM ORBEM. TRICENO MIL
LENO TRINO NOVAGESIMOQ. ANNIS.

Idem in sepulcro Lelli Magdaleni observatur, quod in gentis eius sacello in ecclesia sanctae Mariae supra Minervam huiusmodi et inscriptionem et elogium prae se fert seorsum in alio marmore insculptum

HIC REQVIESCIT. CORPVS. INSICNIS

CIVIS. ET FAMOSI. IN VRBE MERCATORIS. LELLI. MACDALENO. QVI. OBIIT. ANNO. D̄N̄Ī. M̄CCC̄LXXXX.

DIE. XX NOVEMBRIS. Ī HAC SVA ET SVO

ꝶ. CAPPELLA. PRIMITVS. SEPVLTVRA ELECTA. CVI̓ AIA. REQ̄IESCAT. IN PACE. AMEN

(1) „ Coma, perchè di lor memoria sia,
Sovra ai sepolti le *tombe terragne*
Portan segnato quel, ch' egli era pria. „ Dante. Purg. XII.

(2) Videlicet REPREHENSOR.

✝ CIVIS ROMANVS . LELLVS MADALENVS IN ISTO
QVIPPE IACET TVMVLO . GENEROSA ET PROLE CREATVS
DEFENSORQVE FVIT PATRIE . SERVATOR ET EQVI
PAVPERIBVS GRATVS . MVLTA ET VIRTVTE . PERITVS .
DIVICIIS FECVNDVS ERAT . FAMOSVS VBIQVE .
A POPVLO DILECTVS ENIM . CVNCTISQVE BENIGNVS
ATQVE SVIS OPIBVS . PATRIE SVBVENIT ET VRBI
CVM FORET EGRA FAMES . CVNTAQVE (*sic*) A PLEBE TIMENDA .
NAM SEGETEM AD SICVLAM . TELLVREM MISIT EMPTVM (1) .
ROMANAM PATRIAM . MVLTA NAM FRVGE REPLEVIT

In ecclesia quoque sanctae Praxedis in Esquiliis elogium Ancheri cardinalis, non in sarcophagi fronte, vel in eius operculo, sed in marmorea tabula parieti supra sarcophagum adfixa legitur. Quod elogium, cum hucusque perperam lectum atque editum sit, heic emendatum subiicere placet

QVI LEGIS ANCHERVM DVRO SVB MARMORE CLAVDI
SI NESCIS AVDI QVEM NECE PERDIS HERVM

TRECA PARIT PVERVM LAVDVNVM DAT SIBI CLERVM
CARDINE PRAXEDIS TITVLATVR ET ISTIVS AEDIS

DEFVIT IN SE LIS LARGVS FVIT ATQVE FIDELIS
DAEMONIS A TELIS SERVA DEVS HVNC CAPE CAELIS

ANNO MILLENO CENTVM BIS ET OCTVAGENO
SEXTO DECESSIT HIC PRIMA LVCE NOVEMBRIS

Hoc idem in Ferrandi quoque sepulcro factum existimamus, cuius elogium tantummodo, etsi male habitum, superest; cum sarcophagus, vel marmorea tabula, ex qua nomen gentis, dignitas atque aetas eius innotuisset, pessimo iamdudum fato interciderit.

AD NVMERVM 86. *Dionysius tab.* LXIII. *num.* 3.

Cum Agnetis Columnae sepulcralis lapis, de quo vide infra num. 190., Ioannis Podii episcopi bononiensis sepulcro superimpositus aliqua ex parte illud operiret, ut huius integra tandem inscriptio adpareret, remotus nuper fuit, ac prope super pavimentum collocatus. Quod tamen ob loci angustias fieri omnino non poterat, nisi Francisci quoque Bandini sepulcrum, iuxta situm, alium in locum transferretur, prout uno eodemque tempore, VIII. kalendas augustas, factum est, adhibitis de more testibus, ac translationis illius instrumento, quod heic sublicimus, per reverendae Fabricae notarium confecto. (2) In Alpharani tabula ichno-

(1) Legendum profecto EMENDVM.

(2) *TRASLAZIONE DI SEPOLCRO, E NVOVO COLLOCAMENTO DI ESSO FATTO AD ISTANZA DI S. ECCELLENZA REVMA MONS. D. NICOLA PARACCIANI CLARELLI ECONOMO E SEGRETARIO GENERALE DELLA SAGRA CONGREGAZIONE DELLA REV. FABBRICA DI S. PIETRO IN VATICANO*

Nel nome di Dio. L'anno 1836., il giorno di lunedì 25. luglio, sotto il pontificato di N. S. papa Gregorio XVI. felicemente regnante.

Nella navata settentrionale delle così dette Grotte vecchie discendendo dalla parte di san Longino, e precisamente al lato sinistro della lapide sepolcrale di Sante Pasilli, che si vede ivi affissa al muro, scorgesi un cancello di ferro, che conduce in un cubicolo, ove sono collocate alcune lapidi sepolcrali, fra le quali quella di Giovanni Podio vescovo di Bologna, che viene ricoperta per la lunghezza di palmi 5. dalla ben lunga lapide del deposito di Agnese Colonna Gaetani.

graphica sepulcrum istud numero 81. notatur, de quo ipse in libro manuscripto haec habet. „ *Pii II. sepulcrum clegantissimum e marmore pario deaurato exstructum, diversis eximiisque sculpturis exornatum, cum epitaphio marmori insculpto. Ante quod est sepultus Franciscus Bandinus Piccolomineus archiepiscopus senensis.* „

AD NVMERVM 88. *Dionysius tab.* LXI. *num.* I.

Inscriptio illa ad cardinalem Zenum pertinens, quam Turrigius pag. 427., atque ex eo Dionysius refert, exstat adhuc parieti domunculae cuiusdam adfixa sitae ex adverso aedium sacrae Inquisitionis, ac numero 13. insignitae.

Avendo S. E. R. Mons. Clarelli quale Economo, e Segretario generale della rev. Fabbrica di s. Pietro determinato di conoscere l' iscrizione, che poteva essere scolpita nella porzione ricoperta della detta lapide del Podio, e porre in maggior regolarità la detta lapide di Agnese Colonna Gaetani, nè potendosi ciò effettuare senza prima rimuovere dal suo luogo, e collocare altrove la lapide sepolcrale, e le ossa di Francesco Bandini Piccolomini arcivescovo di Siena, che esiste dentro il predetto cubicolo, al lato destro del cancello, collocato sopra terra per l' altezza di 2. palmi, ed a contatto con il sepolcro della predetta Agnese Colonna Gaetani, e volendo di tale atto fare pubblico rogito a perpetua memoria; quindi è che

Io Alessandro Cherubini notaro pubblico, e della stessa rev. Fabbrica, ed i Signori canonico D. Giuseppe Settele professore di antichità sagre nel Seminario romano, e di ottica, e di astronomia nell' Archiginnasio romano, e dottore Emiliano Sarti professore di lingua greca, e di lingue orientali nel medesimo Archiginnasio romano, mi sono recato nel suindicato cubicolo, ed ivi ho rinvenuto il sig. Giuseppe Marini architetto misuratore della rev. Fabbrica di s. Pietro insieme con Giovanni Paraccini soprastante de' manuali sanpietrini, Filippo Boccanera, Pietro Cesari, e Damaso Pandolfi manuali, i quali dietro ordine ricevuto da S. E. R. Mons. Paracciani Clarelli ivi presente hanno smurato, e quindi alzata la lapide sepolcrale di marmo del succitato Francesco Bandini Piccolomini arcivescovo di Siena, che trovai, misurandola essere lunga palmi architettonici romani 6., larga palmi 2., oncie 6., e grossa oncie 3., avente nel suo mezzo incastrata una lastra di bronzo con cornice contenente la seguente iscrizione a caratteri di rilievo

D. O. M.

FR. BAN. PICOL. ARCHIEP. SENEN. VT IN BASE. D. ANDREAE

OSSA HIC RESVRRECTIONEM EXPECTANT

a piè della quale iscrizione si vede impressa l' arma gentilizia del Bandini. Alzata la predetta lapide si rinvennero sotto di essa alcuni pezzi di tavola fradicia, che denotano essere gli avanzi della cassa, ove fu posto il corpo del Bandini, ed alcune ossa del suo cadavere, che posavano sopra il pavimento del cubicolo, le quali ossa la prelodata Eccellenza Sua fece porre in una cassetta nuova di legno preparata a tale effetto antecedentemente, lunga palmi 2., oncie 3., larga palmo 1., oncie 6., ed alta oncie 9., la quale da me notaro alla presenza di tutti i già nominati di sopra fu legata in croce con fettuccia bianca, e ci apposi sì nel mezzo, che nei lati, il sigillo dell' arma gentilizia della casa Paracciani Clarelli con cappello, e fiocchi prelatizij, ed iscrizione intorno, l'impronta del quale ho apposto in margine del presente Atto. Dopo la quale operazione il lodato Prelato ingiunse ai manuali sanpietrini, che la detta cassetta già da me notaro nel modo descritto legata, e sigillata, venisse asportata nella navata meridionale delle dette Grotte vecchie presso l'ingresso della cappella di s. Andrea, e fosse collocata in una buca fatta fare espressamente a tale oggetto nel medesimo giorno nel pavimento di quella navata delle Grotte suddette a piedi della parete, che chiude la seconda arcata a destra di chi entra nelle suddette Grotte. Il che prontamente eseguito ordinò la prefata Eccellenza Sua, che fosse tutto all' intorno murata con una fascia di mattoni per l' altezza da terra di circa palmo uno, dopo di che fu ricoperta con la medesima lapide sepolcrale di sopra descritta, e così si diè termine a tale Atto di traslocamento di sepolcro.

Non interposta dimora alcuna ritornammo tutti in compagnia nel ridetto cubicolo, ed il lodato Mons. economo dette ordine ai manuali, che rimovessero la lunga lapide sepolcrale del deposito di Agnese Colonna, la quale essendo stata tirata in avanti si vide, che sotto di essa eravi una cassa di legno mancante di coperchio consunto dal tempo, della lunghezza di palmi 6., larga palmi 4., alta palmo 1., che racchiudeva le ossa del cadavere della detta Agnese Colonna Gaetani. Nulla si toccò, e soltanto il detto coperchio, che per la lunghezza di palmi 5. ricopriva la lapide sepolcrale di Giovanni Podio vescovo di Bologna, fu posto esattamente in misura sopra la detta cassa, e così fu scoperta la intera lapide del Podio, e si tornò a murare nuovamente quella della Colonna Gaetani.

Ciò eseguito si è dato termine al presente atto. Sopra di che ec.

Atto fatto, letto, e pubblicato nei suindicati sotterranei alla continuata presenza di S. E. R., e dei sopra nominati comparenti, che si sono firmati ec.

AD NVMERVM 92. *Append. tab. XII.*

Ex vaticanae basilicae descriptione, quam vernacule scriptam Briccolanius edidit, (*) colligitur hanc imaginem in sacello divi Antonii exstitisse, quod Antoniottus de Pallavicinis erexerat et dotaverat; eoque sacello diruto in basilicae sacrario fuisse adservatam, donec tandem in cryptas veteres delata fuit, quando novum a fundamentis sacrarium aedificari coeptum est. Cubiculum sacrarii veteris, in quo adservabatur, indicat Cancellierius pag. 1840. num. 46. his verbis. „ *Nella stanza superiore la Madonna coll' iscrizione* A. GEN. PALLAVICINVS *ora sotto le grotte.* „ Inscriptionem ipsam, quae imagini subiicitur, edidit pag. 1710. num. XXXVII. Sacellum autem ab Antoniotto dotatum ita in Alpharani ichnographia num. 26. designatur. „ *Altare sancti Antonii ab Antoniotto de Palavicinis cardinali.* „

AD NVMERVM 93. *Dionysius tab. XLII. num.* 2.

Richardus cardinalis Oliverius sumptu suo elegantiorem, quam quae antea fuerat, e marmore basim aeneae divi Petri statuae fecit, de qua ad numerum 115. sermo erit.

AD NVMERVM 94.

In basilicae descriptione a Briccolanio edita de musivis, quae in cryptis veteribus sunt, haec pag. 111. habentur. „ *Sono quelli tolti dalle minori cupole per sostituirvene dei nuovi.* „ Quod etsi de quibusdam, non tamen de omnibus potest certo adfirmari, ut alibi videbimus. Hoc porro caput ad illam divi Bernardi effigiem pertinere nobis videtur, quae in uno ex triangulis tholi supra sacellum sanctae Petronillae cernitur. Neque audiendus est Briccolanius, qui semel iterumque pag. 59. et 226. divum Benedictum in eo repraesentari scribit: omnibus enim notum est divum Bernardum alba cuculla indutum solere depingi (quod ipsum in hoc musivo factum videmus) nigra vero divum Benedictum.

AD LITTER. M., M., M.

Torrigius pag. 344. monet in australi cryptarum navi esse „ *tre luoghi, dove fu posta la terra, che fu cavata vicino alla Confessione con occasione di abbellirla nel 1615. da Paolo V., e quella ancora, che fu cavata nel 1626. per far i fondamenti delle quattro maravigliose colonne di bronzo ..... Devesi notare, che tal terra fu in questi luoghi trasferita con gran divotione da molti canonici, et altri di questa basilica, riputandosi a gloria il portare con le proprie mani si honorato peso, cavato da si celebre e santo luogo.* „ Et sane exstat etiamnunc muro adfixa, tribus in locis, inscriptio huiuscemodi

TERRA . ERVTA E . FVNDAMENTIS PROPE . SEPVLCHRVM SANCTI . PETRI SVB . VRBANO . VIII .

qua proinde docemur, in loco dumtaxat, qui numero 96. notatur, ac post Gregorii V. sarcophagum num. 108. terram illam congestam servari.

AD NVMERVM 95. *Append. tab. XIII. num.* 1.

In XXI. Ciampinii tabula litteris C., et D. sacrosancti sudarii ciborium repraesentatur ex illo schemate expressum, quod in grimaldiano codice fol. 34. exstat. Su-

(*) Pag. 113. edit. anni 1816.

perior ciborii pars tabernaculo quodam formae hexagonae, duodecim columellis suffulto, cooperta fuisse videtur, cui et alius minorum columnarum ordo desuper insistebat, qui summum fastigium in pyramidem desinens sustinebat. Cum epistylii huius altitudo, et columnarum proinde, quibus imponebatur, modulus valde nobis congruere cum tabernaculi illius modulo videatur; ideo fragmentum istud in sacrosancti sudarii ciborio exstitisse persuasum habemus. Neque vero multum de hoc solliciti sumus, quod huiusmodi fragmentum decagonam potius, quam hexagonam formam prae se ferat: pluribus enim constat exemplia grimaldiani codicis schemata adeo negligenter fuisse delineata, ut saepe non ipsissimam rerum formam, sed adumbrationem tantum earum ac speciem repraesentent. Hoc quoque fragmentum e pavimento, cui aternendo inserviit, nuper sublatum fuit.

AD NVMERVM 96. *Append. tab. XIV. num. 1.*

Vndenam haec beatae Virginis imago in vaticanum hypogeum concesserit, diu frustra inquisivimus: coniicimus tamen in sepulcrali aliquo monumento exstitisse, quum pro superiorum temporum more huiuscemodi imagines pingi vel exsculpi passim in monumentis solerent.

AD NVMERVM 97.

Caput istud opere musivo elaboratum pertinet ad illius angeli effigiem, qui in triangulo tholi supra sacellum sanctae Petronillae divo Bernardo adstat, quemadmodum facile quilibet ex ipsa inspectione deprehendet.

AD NVMERVM 99. *Append. tab. XV.*

Nicolaus papa I., Anastasio teste, (1) sepultus fuit *ante fores basilicae beati Petri apostoli* eo in loco, quem Alpharanus numero 135. designat. Metricum sepulcro eius epitaphium erat inscriptum, cuius postremos tantum octo hexametros Petrus Mallius refert (2) omissis quatuor prioribus, qui muro fortasse aliquo superstructo latebant; quemadmodum in Raynaldi cardinalis Vrsini epitaphio superius (3) factum esse vidimus, quod mutilum hucusque et imperfectum prodierat, quia eius dimidia fere pars pariete superaedificato occultabatur. Cum vetus basilicae sacrarium dirueretur, sub Petri Carranzae monumento repertum fuit in pavimento inversum hoc fragmentum, ut Cancellierius testatur (4); ex quo tum primum innotuit in Petri Mallii apographo priores versus deesse. Illos autem non infelici coniectura suppletos ipse Cancellierius pag. 1621. exhibet, cui procul dubio in iis restituen-

(1) Sect. 612.

(2) In membranaceo Petri Mallii codice, quem vaticana bibliotheca numero 3627. notatum servat, ita hi versus fol. 14. b. leguntur

Conditur hoc antro sacrae substantia carnis
Praesulis egregii Nicolai dogmate sancto
Qui fulsit cunctis: mundum replevit et orbem.
Intactis nituit membris castoque pudore.
Quae docuit verbis actuque peregit opimo.
Sydereo plenus mansit doctusque sophiae:
Caelorum claris quem servant regna triumphis,
Vt vernet soliis procerum per saecula natum

(3) Vide quae ad numerum 31. pag. 30. adnotavimus.

(4) In descriptione vernacula sacrarii veteris ac novi pag. 1839. num. 35. „ Iscrizione di Pietro Carranza. *Sotto questo deposito nel pavimento si trovò in un marmo rivoltato il frammento della iscrizione di san Nicolò papa I., ora situato nelle Grotte.* „

dis facem praetulit metricum Crescentii epitaphium saeculo undecimo ineunte exaratum, quod in ecclesia sanctorum Cosmae et Damiani prope forum romanum exstat adhuc, atque ita incipit

Quisquis ab occasu properas huc, quisquis ab ortu,
Axe vel a gelido, sive calente polo,
Flecte precor geminos carmen lecturus ocellos,
Sortis et humanae flebilis esto memor etc.

Mirandum vero est Cancellierium, qui lapidem suo tempore inventum, antequam in vaticanis cryptis muro adfigeretur, aperta in luce contemplari, ac manibus etiam tractare potuit, non animadvertisse primum epitaphii versum, cuius dimidiatae exstant litterae, satis quidem illae conspicuae, ut vel caecutientis hominis visum effugere nequeant. Quod minime possumus de viro alioquin diligentissimo nobis persuadere, atque id potius putamus, vidisse eum quidem truncas, quae supererant e primo versu, voces, consulto tamen eas neglexisse, quod nihil inde potuisset expiscari. Ea litterarum vestigia decem abhinc annis, cum vaticani hypogei monumenta curiose inspiceremus, nos nequaquam latuerant; et verba quidem ISTE GENVS MORTALE REPENTE in iis agnoscere facillimum fuit, quae vero ab initio desunt, restituere ac versum complere non ita facile videbatur. Hoc, utcunque tandem potuimus, praestare conati sumus, atque integrum nunc primum tanti pontificis epitaphium ita edimus

*Scire volens cur tr*ISTE GENVS MORTALE REPENTE
*Quisquis ad haec prop*ERAS EOIS PARTIBVS AVLAE
*Templa vel occidu*IS POLLENS AVSTROQVE BEATAE
Axe vel a gelido CARMEN SCRVTARE MEMENTO
*Conditur hoc a*NTRO SACRI SVBSTANTIA CARNIS
Praesulis egregii NICOLAI DOGMATE SANCTO
*Qui fulsit cunc*TIS MVNDVM REPLEVIT ET ORBEM
*Intactis nituit m*EMBRIS CASTOQVE PVDORE
*Quae docuit ve*RBIS ACTVQVE PEREGIT OPIMO
*Sydereae plenu*S MANSIT DOCTVSQVE SOPHIAE
*Caelorum cla*RIS QVEM SERVANT REGNA TRIVMPH*is*
*Vt vernet soli*IS PR*oceru*M PER SAECVLA VATV*m*

Veram ultimi versus lectionem vaticani codicis ope sumus adsequuti, in quo secunda vox ita scribitur uēnʒ, idest *vernet*. *Vernare* autem non modo *virere* ac *florere*, sed et *canere* apud aevi sequioris auctores significat, quemadmodum ex latino Cangii glossario ad hanc vocem disces.

AD NVMERVM 100. *Append. tab. XVI.*

In pavimento inversum repertum est hoc marmoreum fragmentum, quod ad coronidem veteris alicuius aedificii pertinuisse patet. Publicum autem fuisse, aut non vulgaris certe magnificentiae opus, tum eximium artificium demonstrat, tum ipsa rosae insculptae magnitudo, quae palmos quadratos duos superat. Nemini vero mirum videatur, cum vetus basilica exstrueretur, adhibita fuisse raptim in id opus marmora ex urbis antiquae vel nobilissimis aedificiis, sive tunc, sive antea dirutis, sumpta. Vt enim tradit oculatus testis Grimaldius (*) „ antiquae vaticanae basilicae a Constanti-

(*) Apud Martinellium in Roma sacra pag. 344.

no maximo fabrefactae facies anterior, apsis, et muri extremi, ac illi super columnis surgentes, qui tecta gravi pondere sustinebant, e laterum tophorumque fragmentis, *circo, adiacentibusque aedificiis eversis*, celeri opera undique arte aedificati fuerunt. Basilicam ipsam brevi tempore a Constantino acceleratam fuisse fides oculata testabatur. Capitella partim absoluta, partim imperfecta: bases multae columnis absimiles: fenestrae arcuatae, lateritiae primum, postea germanico opere marmoreae effictae. Limina *ex magnis marmoribus, quae ablata esse ex circi, vel alterius aedificii ruinis* pars inferior terra obruta indicabat, cum sub uno ex his modice arcuato rosae sculptae erant: in altero litterae legebantur CVM SPECVLATOR, quas iudicatum est, arcum, seu locum speculatorium ipsius forsitan circi significasse. „ Refert praeterea Severanus, (1) in quodam basilicae epistylio hanc repertam fuisse inscriptionem

DIVO . TITO . DIVI . VESPASIANI . F . VESPASIANO . AVG
IMP . CAESAR . D . NERVAE . F . NERVA . TRAIANVS
GERMANICVS . DACICVS . PONT . MAX . TRIB . POT . COS. PP . FECIT

cuius litteras, pedalis magnitudinis, fuisse olim ex aere aperte docebant foramina ad clavos excipiendos in ipsis facta; ac proinde a publico aliquo opere ab imperatore Nerva Traiano in honorem Titi exstructo lapis ille in veteris basilicae usum detractus fuerat. (2) Idem in omnibus fere urbis ecclesiis aedificandis factum antiquitus fuisse nemo inficiabitur, quicunque semel eas viderit; basilicam praesertim Laurentio martyri sacram in agro verano, atque eam, quae in transtiberina regione *ad fontem olei* adpellatur.

AD NVMERVM 101. *Append. tab. XVII. num. 4.*

Quadratae huius basis duo quidem latera gentilitio Vrsinorum stemmate insigniuntur, in altero proprium gentis eius symbolum, ursus nempe gradiens, adparet, quartum denique latus reverendissimi basilicae Capituli insculpta habet insignia. Suspicati aliquando sumus fuisse olim basi huic paschalis cerei candelabrum impositum, cuius in Alpharani ichnographia situs numero 6. designatur; cum tamen nulla nobis suppetant argumenta, quibus hoc demonstremus, rem in medio relinquimus.

(1) Memorie sacre delle sette chiese di Roma, part. 1. pag. 41.

(2) In codice vaticano 6040. fol. 20. pleniorem inscriptionis huius notitiam, quam heic subiicimus, una cum apographo Grimaldii manu descripto invenimus. = „ *In magnis marmoribus zophorum sustinentibus veteris vaticanae basilicae columnarum mediae navis fragmenta nobilis inscriptionis aedificii a Tito, vel a Traiano excitati litteris romanis maiusculis palmi unius cum duobus tertiis.*

DIVO TITO DIVI *Vespasiani f. Vespa*SIANO
AVGVSTO . IMP . CAESAR . DIVI NER
VAE . F . NERVA *Traianus germa*NICVS
DAC*icus pont* MAX TRIB . PO
cos . . P . P . FECIT . „ =

Vides lacunas heic adparere, quae apud Severanum nullae sunt: in pluribus praeterea saxis, non in uno tantum, uti Severanus narrat, inscriptionem fuisse insculptam clare innuunt Grimaldii verba *in magnis marmoribus zophorum sustinentibus*. Etsi autem consulatus ac tribuniciae potestatis numerus, marmoris iactura, desideretur, anno tamen vulgaris aerae 103. priorem non esse epigraphen *dacici* cognomen demonstrat, quod Traiano tribuitur: constat enim Traianum anno ab urbe condita 856., vulgaris aerae 103., acta de dacis triumpho, *dacici* cognomine primum insignitum. Vide Noris epist. consular. pag. 64. et seqq. Porro trabes illas marmoreas, quae in epistyliorum usum ad vaticanam basilicam translatae fuerunt, in templo divorum Vespasiani ac Titi fuisse opinamur, quod in VIII. urbis regione exstitit, quemadmodum ex vetustissima romanae urbis descriptione discimus; de quo fusius disseremus, cum *de antiquae urbis aedificiis*, peculiari edito scripto, sermo a nobis instituetur.

Porro cum Vrsina gens duodecim in veteri basilica sacella exstruxerit (1), septem vero longo temporis tractu archipresbyteros in ea habuerit; mirandum non est, si monumenta aliqua gentis eius adhuc exstent, quornm aetatem certo adsequi nobis non detur. Qnidquid tandem sit de loco atque usu, cni basis huiusmodi destinata fuerit, hoc certum est, eam ad opus aliquod pertinuisse, qnod in basilica fieri curaverit archipresbyter qnispiam ex Vrsinorum gente, nti manifesto deprehenditnr ex insculptis reverendissimi Capituli insignibus.

Neque a vero quis aberraverit, si ex tot gentis eius archipresbyteris Iordano cardinali Vrsino potius, quam alii cuilibet hoc opus tribuere voluerit. Is namque ab Innocentio VII. anno 1405. cardinalis renunciatus, ac deinde ab Engenio IV. vaticanae basilicae archipresbyter, eam dignitatem nsque ad annum 1438. obtinuit, quo IV. kalendas iunias (2) vitam cum morte commutavit. Marmoreo septo, ae ferreis cancellis columnam illam circumdedit, cni Christus in templo hierosolimitano innixus traditur, dum populum adloqueretur. (3) Quo in septo gentis Vrsinae stemma, et reverendissimi Capituli insignia insculpta sunt, adeo illis, quae basis ista prae se fert, similia, nt nihil magis: quocirca non male quis coniecerit eidem et artifici et aetati utraque haec opera tribuenda.

(1) Turrigius pag. 91. „ *Gli Orsini avevano in san Pietro già 12. cappelle sontuose: della loro casa vi sono stati sette Arcipreti di questa basilica.* „

(2) Martyrologium basilicae, ad diem IV. kal. Iunii.

(3) Marmoreum septum, quod putealis instar columnam ambit, ad altitudinem sex palmorum adsurgit, atque octo constat lateribus, quorum singula palmos tres in latum patent. In uno ex iis huiusmodi inscriptio incisa legitur:

HEC Ē ILLA COLVN̄Ā . Ī QVA
D̄N̄S̄ N̄R̄ ȲH̄V̄S̄ X̄P̄S̄ . APPO
DIATVS . DVM POPVLO P
REDICABAT ET DEO P̄R̄Ī P̄
CES Ī TEMPLO EFFVNDE
BAT . ADHERENDO STABAT :
QVE VNA C̄V̄ ALIIS VND
EC̄Ī . HIC CIRCV̄STANTIBVS .
DE SALOMONIS TEMPLO .
IN TRIVMPHVM . HVP
BASILICE . HIC LOCATA
FVIT : DEMONES EXPELLIT . ET
AB INMVNDIS SPIRITIBVS . VE
XATOS LIBEROS REDDIT . ET
MVLTA MIRACVLA COTID
IE FACIT : P REVERENDISSIM̄
PR̄EM ET DOMIN̄V̄ . DNV̄3
CAR̄D̄ DE VRSINIS OR
NATA : ANNO DOMIN
M CCCC XXXVIII

AD NVMERVM 104. *Append. tab. xix. num.* 2.

. . . .
. . . . ANVS
. . . . CASTORIS DECVRIO
. . . . INIANAE
. . . . . PHOR . FABER . ARG
. . . . RTVMNVM
. . . . IXIT . CVM . SVIS
. . . . A
. . . . EROS . F

Primum inscriptionis huius fragmentum *a.* in pavimento inversum, ante altare L., in australi cryptarum navi repertum fuit, alterum vero *b.* in boreali, non longe ab ostio R. Si ex litterarum forma iudicium de marmoris aetate ferendum sit, eae adeo sunt eleganter exaratae, ut ad primum certe vulgaris aerae saeculum epigraphe nobis referenda videatur. Sepulcralem fuisse trunca sexti versus verba suadent VIXIT . CVM . SVIS; ad fabrum autem argentarium pertinuisse, cuius nomen lapidis iactura intercidit, in dubium revocari nequit. Argentariam eius tabernam, frequentissimo urbis loco, prope romanum forum, ad *Vortumnum* fuisse sitam e versu quinto colligimus; quo etiam titulo valde se nobis marmor commendat, cum rara in veteribus saxis Vortumni mentio occurrat. Quin et in superiori inscriptionis parte fabri alterius argentarii nomen excidisse suspicamur, cuius taberna *ad aedem*, vel *post aedem Castoris* esset, ipse vero *antoninianae*, vel *faustinianae* alicui decuriae praefuerit: nisi quis forte *Castoris aedituum* fuisse malit.

AD NVMERVM 105. *Append. tab. xx.*

. . . .	
. . . . FAVSTVS	: . . . .
CN . . . . . . LLIVS . FLACCVS	. : . . . .
CN . *Pue* TVMEIVS . SYNTROPHVS	O C . . . .
. . R IMP.NERVA.TRAIANO.CA	MAG*istri* . . . .
ESARE . AVG . GER . III . SEX . IVLIO	ANNI . . . .
FRONTINO . III . COS . MAGISTRI	D . MVNDICIVS . D . L . POTI*tus*
ANNI . CVII	TI . CLAVDIVS . TI . L . ZOSIMVS .
M OPTICIVS . HELPISTVS	C . VMMIDIVS . C . L . FORTVNATVS
: : . . . AGATHOPVS	M . PAPINIVS . M . L . MENODORVS
: : : : : : . VS HERMES	
: : . . . . . HERMOLAVS	

. . . . . . T . RVSTIO CAEPI
. . . . LXXX
. . . . LIX
. . . . ANVS
. . . . VS
. . . . VS

Insigne hoc marmor quinque constat fragmentis, quae in tabula xx. per adpositas litteras *a*, *b*, *c*, *d*, *e* designantur. Horum tria *a*, *b*, *d* in pavimento borealis navis, dissitis in locis, inversa reperta sunt: *c.* ante Marcelli II. sarcophagum

(num. 182.) humi stratum aliquot abhinc annis legeramus, non secus atque alterum fragmentum *e*, quod in pavimento prope Gregorii v. sepulcrum exscriptum in schedis nostris itidem servabamus; etsi numquam suspicati essemus duo haec fragmenta c., et *e*. unius eiusdemque marmoreae tabulae disiecta membra esse. Quod tum demum deprehendimus, cum singula e pavimento sublata fragmenta inter se invicem comparare, atque alterum alteri admovere licuit. Marmoris crassities duas palmi romani uncias aequat; quanta vero eius longitudo ac latitudo fuerit definiri nequit: hoc unum certo scimus, plures olim in ea tabula columnas fuisse scriptas. Manifestum enim id est, tum ex duplici linea, quae a summo ad imum ducta in *c*. et *d*. superstites duas columnas disterminat, tum ex littera R, quae sola in fragmento *a*. sinistrorsum ante voces IMP. NERVA. TRAIANO etc. ex alia deperdita columna *f*. adhuc superest.

Fuisse autem hoc in marmore descripta nomina magistrorum vici cuiuspiam antiquae urbis per annorum seriem digesta, his maxime adducti argumentis putamus. Ac primum quidem, quod *magistri* illi, quorum bis in inscriptione fit mentio, quatuor numero recenseantur, quotquot videlicet in capitolina vicomagistrorum basi singulis singularum regionum vicis tribuuntur; deinde vero, quod notatus in marmore annus ab urbe condita 853. *septimus ac centesimus* a prima eius magisterii institutione fuisse dicatur. Quod si cui prius illud argumentum non tanti esse ponderis videatur, ut de vicorum potius magistris, quam de aliis quibuslibet lapidem loqui putemus; is profecto manus dare victas cogetur ac nobiscum sentire, si chronologicas inscriptionis notas attente perpenderit. Constat enim e Svetonio (1) instituisse Augustum, ut singularum regionum, in quas urbis spatium ipse divisit, vicos *magistri e plebe cuiusque viciniae electi* tuerentur. Hoc autem factum fuisse anno ab urbe condita 747. Dio Cassius (2) memoriae prodidit, cum quo et inscriptiones consonant (3); ex quibus praeterea discimus magisterii huius annos a kalendis augustis, quibus primum initum fuit, supputari consuevisse. (4) Ab anno igitur urbis conditae 747., ab ipsis kalendis augustis initio facto, si *septem* ac *centum* deinceps anni numerentur, deprehendetur *septimum* ac *centesimum* a prima vicomagistrorum institutione annum incidere in kalendas augustas anni ab urbe condita 853., post natum Christum 100. Hoc autem anno Traianum imperatorem consulatum *tertium* gessisse universi scriptores et fasti consentiunt, etsi maxima de ordinario eius conlega apud chronologos sit discrepantia. Si enim anonymi apud Cuspinianum fastos (qui omnium optimi habentur et emendatissimi) attendere velimus, *Frontinum* Traiano in consulatu conlegam tribuemus; quod clarissimis viris Norisio (5), Blanchinio (6), et Morgagno (7) placuit. Contra ea Panvinius, Prosperi aquitanici fastos, et Cassiodorum Prosperi exscriptorem sequutus, *Frontonem* Traiani conlegam pronunciat, cui praeter Tillemontium et Pagius (8) adhaeret, addens Norisium sibi deinde per litteras significasse Panvinii sententiam probabiliorem sibi videri. Controversiam

(1) Octav. §. 30.

(2) Hist. rom. lib. LV. §. 8. „ Οἱ δὲ δὴ στενωποὶ (ἔτυχον) ἐπιμελητῶν τινων ἐκ τοῦ δήμου, οὓς καὶ στενωπάρχους καλοῦμεν. „

(3) Grut. pag. LXXIX. num. 5. Fabrett. de col. Traian. pag. 272. Gori inscr. antiq. tom. III. pag. 108.

(4) Marini lettera sopra un'ara antica. Grut. pag. LXXIV. num. 2. Fabrett. inscription. cap. VI. num. 96. 97., et num. 170. 171.

(5) Epistolae consularis pag. 61.

(6) Anastasii Bibliothecarii vit. rom. pontif. tom. II. pag. CLXXXII.

(7) Epistola ad Ioannem Polenum, pag. 7. et seqq. prolegomenon in Frontini de aquaeductibus urbis Romae commentarium. Patavii 1722.

(8) Critica in annales Baronii, tom. 1. pag. 94.

omnem dirimit nostra haec inscriptio, quantivis idcirco faciendа; cuius luculentissimo ac certissimo testimonio fasti emendantur, atque ordinarius Traiani conlega *Sextus Iulius Frontinus*, tergemino consulatus honore, scriptisque editis clarus in suam sedem postliminii iure restituitur. Dolendum sane est, praeclarum adeo marmor ita undique mutilum ad nos pervenisse, ut unicum dumtaxat consulum conlegium in eo inveniatur; cum in fragmento *d.* praeter vicomagistrorum nomina, cetera omnia perierint, atque in ima tabulae parte e. nonnisi truncae supersint nominum reliquiae.

T. Rustium Caepionem, cuius in marmore fit mentio, eumdem esse arbitramur, ac *Caepionem* illum *Hisponem*, de quo multa Plinius in epistola IX. libri IV. Neque alium putamus nostrum hunc *T. Rustium Caepionem Hisponem* a *Caelio Hispone*, quem sub Traiano consulatum gessisse ex Digestis constat (1), et communis chronologorum sententia statuit anno ab urbe condita 854., vulgaris aerae 101., suffectum fuisse ex kalendis iuliis una cum Q. Rubrio Gallo. Mendum in huiusce consulis nomine in Digestis subesse nobis videtur, et *Caepione Hispone* pro *Caelio Hispone* legendum omnino contendimus. (2) Patrem quoque *Rustii* huius *Caepionis Hisponis* deprehendisse nobis videmur in hoc Svetonii loco. (3) „ Legatum etiam ex testamento *Ruscii Caepionis*, qui caverat, ut quotannis ingredientibus curiam senatoribus, certam summam viritim praestaret heres suus, irritum fecit. „ Qui enim *Ruscius Caepio* penes Svetonium prava librariorum scriptura adpellatur, eum *Rustium Caepionem* fuisse non dubitamus: quem sub Domitiano vita functum *Caepionis Hisponis* a Plinio laudati, et in nostro marmore commemorati, parentem fuisse temporis ratio suadet.

Gruterianam praeterea inscriptionem pag. XXI. num 6., quae Interamnae exstare ex Iacobonio dicitur, dummodo ea genuina sit, emendandam in tertia linea putamus, atque omnino legendum RVSTIVS L. F. CAEPIO, minime vero RVSTIVS L. F. AEPIO, quemadmodum Gruteri exemplar habet.

AD NVMERVM 106. *Append. tab. XXI. num. I.*

In australi cryptarum navi hoc fragmentum in pavimento exstabat ante altare L., ubi exscriptum a nobis olim fuerat. Ad monumentum Autroniae se Fufieiae genti commune lapidem quoquo modo spectare opinamur, cum *Lucii Autronii* nomen in prima linea, trium vero *Fuficiorum* deinceps nomina in eo legantur. Adeo multa sunt huiuscemodi marmora, quae plures eiusdem sepulcri dominos vel conditores commemorant, ut rei vulgo notissimae congerere huc exempla supervacaneum ducamus, uno dumtaxat hoc contenti, quod inter vaticanas inscriptiones ceteris longe praestat. Tabula est marmorea longa palmos 4. cum besse, lata palmos duos cum quadrante, crassa palmi unius fere dimidium. Inventa fuit anno 1822. in vinea Sanctii Ammendolae, quae sita est via Appia inter milliarium primum et secundum euntibus ab urbe parte dextera. In ea, litteris optimis, insculpta sunt, in duas columnas digesta, septem feminarum, ac viginti sex virorum nomina, qui monumentum communi pecunis perfecerunt: in dextera vero eius parte adscripta fuerunt postea (quemadmodum ex diversa litterarum forma colligitur) nomina *Marci* cuiusdam *Rutilii Nigri*, et *Caii Appuleii Dolichi*, qui, absoluto iam monumento, locum sibi in eo emerunt, atque in iura successerunt, ille quidem *Q. Appuleii Eutychi*, hic vero

(1) „ Subventum libertatibus est senatus consulto, quod factum est temporibus divi Traiani, Rubrio Gallo, et *Caelio Hispone* consulibus, in haec verba etc. „ Dig. lib. XL. tit. V. *de fideicommissariis libertatibus* L. 26. §. 7.

(2) Muratorio quoque id suboluit, qui *Novi inscriptionum thesauri* pag. 316. haec habet. „ Vereor, ne *Hisponis* nomina corrupta in libris ad nos transmissa fuerint. „ ac deinde ravennatem lapidem a suis schedis recitat, in quo *M. Eppulei Proculi Caepionis Hisponis* consulis mentio occurrit.

(3) Svet. in Domit. §. 9.

P. Appuleii Felicis: quibus et *M. Castricii Mystici* nomen subiicitur, qui in eo monumento, incertum quo iure, partem qnoque habuisse videtur.

L. SERVAEVS . LONGINVS .	Q . VARIVS . THEOCITO .	M . RVTÍLIVS . SP . F . COL . NIGER .
Q . APPVLEIVS . PHILADESPOTVS .	VERGINNEIA . L . L . IRENA .	EMPTOR . ADIECTÍS . PARTIBVS .
L . LVCANVS . RVFIO .	LVCANA . ZOSIMA .	IVRIS . Q . APPVLEI . EVTYCHI .
L . AEMILIVS . HERMO .	L . COCCEIVS . RVFIO .	C . APPVLEIVS . Ɔ L . DOLICVS . IN PARTE .
M . VOLVMNIVS . PRIAMVS .	L . CAVILLIVS . SECVNDVS .	IVRIS . P . APPVLEI . FELICIS .
L . MANLIVS . SILO .	P . APPVLEIVS . FELIXS .	M . CASTRICIVS . MYSTICVS .
A . GRANIVS . PHILOMVSVS .	SEX . QVINTILIVS . APHRODISIVS .	
C . VEIENIVS . STABILIO .	SPEDIA . CHRESTE .	
M . FLAMINIVS . MENOPHILVS .	FABIA . HELENA .	
Q . POMPEIVS . EROS .	L . FVRIVS . PHILOTECNVS .	
Q . APPVLEIVS . EVTHVCHVS . (*sic*)	C . VITELLIVS . HILARVS .	
C . PLOTIVS . FELIXS .	T . ANNIVS . ALEXANDER .	
ANVLENA . PELORIS .	ANNIA . ILIONA .	
T . VETTIVS . T . L . PHARNACES	SEX . QVINTIVS . Q . F . POL .	
L . LICINIVS . EVCRATES .	L . VETTIVS . THALIARCVS (*sic*)	
M . TVRIVS . CALLISTHENES .		
APPVLEIA . CLARA .		
SEX . LIVIVS . FAVSTVS .	I . Q . S . S . S . H . M . PERFECER .	

AD NVMERVM 107. *Dionysius tab. XLV. num.* 1.

Edita primum fuit haec inscriptio in Roma subterranea Bosii (1), cuius aetate exstabat adhuc „ *nella nave minore della porta del giuditio, nella base dell'ottava colonna.* „ Portam, quae dicebatur *iudicii*, Alpharanus in ichnographia numero 137. designat. Inter inscriptiones a Petro sabino collectas, quarum in vaticana bibliotheca exemplar inter ottobonianos codices servatur numero 2015. notatum, inscriptioni huic folio 133. huiusmodi titulus praefigitur. „ *In una bassa* (scilicet *basi*) *columpne, in ecclesia sancti Petri, apud bancum notariorum poenitentiariae.* „ ex quo locus innotescit, quem in veteri basilica Poenitentiariae notarii obtinebant.

Sepulcrales inscriptiones columnarum basibus insculptas nihil est cur miremur: duo enim praebet consuetudinis huius exempla vaticana ipsa basilica, in qua Bosio teste (2) anno 1607., die sexta mensis iulii „ fu ritrovato nella sinistra parte all' entrar della vecchia basilica, nella nave minore della porta del giuditio, a piedi della base della nona colonna, un sepolcro fatto di tavole di marmo; il cui strato era di porfido, e dentro vi erano delle ossa e ceneri; le quali tengo per indubitato, che siano di santi martiri, poichè nella base di detta colonna (sotto la quale stava detto sepolcro) era questa iscrittione

LOC MR C . C . L . VIIII . IN C

la quale io così interpretarei LOCVS MARTYRVM CCLVIIII IN CHRISTO. „ Superest praeterea etiamnunc in eiusdem basilicae altari divo Hieronymo sacro, in basi columnae a cornu evangelii haec mutila inscriptio . . OSA ET VITALIS ☧, quam ita Turrigius pag. 440. integram exhibet ☧ VENERIOSA ET VITALIS ☧ his adiectis verbis „ *vedesi questo nel cordone d' una colonna all' altare di san Girolamo nella gregoria-*

(1) Roma sotterranea edit. anni 1650. pag. 126.

(2) Pag. 86.

na. „ Neque aliter postea Muratorius pag. 1954. num. 10. eam inscriptionem e Donii schedis secum a Gorio communicatis edidit.

Hoc autem ex Felicis diaconi epitaphio palam fit, iam inde ab initio saeculi quinti vulgaris aerae morem obtinuisse, ut in vaticana basilica mortuorum cadavera humarentur. Theodosii enim decimus quintus, et Valentiniani quartus consulatus in annum incidit 435., ac proinde Felicis diaconi titulus omnium antiquissimus est, quicunque intra basilicae ambitum reperti hactenus fuerint: (1) Ioannis siquidem Alicensis epitaphium ad annum 496. pertinet, tituli autem Catelli et Petri ex tribuno voluptatum ad annum 502. et 523. sunt referendi.

AD NVMERVM 108. *Dionysius tab.* XLVI.

Gregorii V. sepulcrum in Alpharani ichnographia numero 79. denotatur. Sarcophagus, in quo pontificis ossa fuerunt recondita, cum e veteri basilica in cryptas delata sunt, repertus fuit, Bosio teste (2), anno 1607., XIX. kalendas septembres, dum novae basilicae fundamenta iacerentur. Aere incisum edidit Aringhius tom. I. pag. 293., ac post eum Bottarius tom. I. pag. 78.

Supra metricum epitaphium huiuscemodi titulus in marmorea palmari tabella scriptus legitur + GREGORIVS PP . V . , quem Turrigius quidem pag. 349. retulit, Dionysius autem omisit.

AD NVMERVM 110. *Append. tab.* XXI. *num.* 5.

Marmorea tabula, in qua litteris optimis insculpta est haec inscriptio, secta fuit olim ex quadrata ara Laribus sacra. Eam vero illo in loco, ubi fabrilia instrumenta templi vaticani usibus necessaria adservantur, in magna marmorum omnis generis congerie invenimus una cum anaglypho, quod numero 176. notatur. Inscriptionem huic in omnibus similem Gruterus e Smetii schedis edidit (3), a quo Romae *in Maphaeorum aedibus* ipsum lapidem visum et exscriptum testatur: utrum vero gruteriana epigraphe una eademque cum nostra habenda sit, definire non audemus. Multa certe vetusta marmora in vaticani templi usum, ubicunque inveniri possent, conquisita et comparata olim fuisse notum est; quae deinde vel ad instaurandum pavimentum secta et in tabulas redacta, (4) vel ad alia quaevis facienda opera fuisse adhibita constat. Minime igitur mirandum esset, si marmor quondam a Smetio penes Maffeios visum eidem fato fuerit obnoxium; laudanda potius eorum diligentia, qui inscriptionem ex ara desectam servarunt.

(1) Aringhii errorem, qui lapidem anno 431. tribuit iampridem notavit Bottarius in praefatione tomi II. pag. XVI. operis, cui titulus *Sculture, e pitture sagre estratte dai cimiteri di Roma*. Rom. 1737.

(2) Roma sotterranea, edit. anni 1632. pag. 61. „ Fu trovato il presente pilo alli 14. di agosto del 1607, in san Pietro nelli fondamenti, che si cavorono nella nave di mezzo per far l'arco, per il quale dal tempio vecchio si doveva entrare nel nuovo. Et è da notare, che le figure scolpitevi non hanno le scarpe all'apostolica, perchè (come apparisce) sono più presto abbozzate, che altro: è longo palmi 9., oncie 6.; alto palmi 2., oncie 8., e profondo palmi 3. „

(3) Pag. CVI. num. 10.

(4) Fragmentum, quod in tabula Appendicis huius XXI. num. 2. delineatum edimus, in superioris basilicae pavimento obversis litteris repertum est, cum Leonis XII. cadaver ante altare sancti Leonis magni in subterranea cella conditum fuit. Ideo autem circulari figura hinc inde terminatur, at mutilam utrinque inscriptionem exhibet, quod unum fuerit e segmentis marmoreae zonae, quae orbem illum sive *rotam* cingebat, in cuius medio nunc Leonis XII. epitaphium est inscriptum.

AD NVM. 111. *Dion. tab. XL. num. 1. Append. tab. XXI. num.* 3.

Neque Turrigius primum, (1) neque post eum Dionysius fragmentum istud absque mendis ediderunt; quod eo magis miramur, quia martyrum catalogum in ipso haberi reputantes, maiorem in eo exscribendo curam adhibere debuissent. Hoc nobis in caussa fuit, ut aere incisum denuo proferremus: de quo obiter notamus, perperam olim habitum fuisse tamquam reliquiarum catalogum; cum cuilibet vel leviter in hisce studiis exercitato, prima statim fronte adpareat, militaris laterculi fragmentum esse; vel (si cui forte magis id placeat) conlegii alicuius *corporatos* in eo recenseri. Primus hoc animadvertit Caietanus Marinius (2); quod ante illum a nemine factum, in tanta luce studiis hisce adfusa tot doctissimorum virorum opera, mirum sane videri debet. Militarem laterculum in eo agnovit clarissimus quoque vir Olaus Kellermannus, natione danus, nostri amicissimus (3), quem nuper maximum opus adgressum, medio in conatu, inmatura nimis morte abreptum omnes dolemus, quotquot acre eius ingenium et singulare plane epigraphicae doctrinae studium suspeximus.

AD NVMERVM 112. *Append. tab. XIX. num. 1.*

.... TVSCENIO FLAVIA
...... COS T F
..... TIAM VENVSTAE.

In boreali cryptarum navi, obversis in terram litteris, pavimento sternendo inserviebat marmorea haec tabula litteris non inelegantibus exarata, cuius alia quoque fragmenta ibidem reperta sunt, in quibus tamen nulla litterarum vestigia inerant. *Tuscenium*, cuius in ea fit mentio, eumdem esse arbitramur, ac *Lucium Ragonium Vrinatium Larcium Quintianum*, quem vulgo anno ab urbe condita 988., post natum Christum 235., consulem cum L. Catilio Severo fasti adsignant. Quidquid existimandum sit de anno, quo *Lucius* iste *Ragonius* consulatum gesserit, nec non de eius conlega Severo (qua de re consule Marinium pag. 355. et seqq. doctissimi in Acta fratrum arvalium commentarii) hoc certe constat, consulis huius filium *Tuscenii* nomine fuisse adpellatum; quemadmodum ex romana hac inscriptione, a Mazochio primum (4), deinde vero a Grutero edita (5) colligitur

„ *In regione Pontis. Ante domum domini Prosperi Boccacii.* „

L. RAGONIO . PAP . VRINATIO
TVSCENIO . QVINTIANO
L . RAGONI . VRINATI . LARGI
QVINTIANI . COS . FILIO
ARTEMIDORVS . LIB.

Idem quoque in alio itidem romano marmore factum videmus, quod bis a Grutero refertur (6)

(1) Pag. 332.
(2) Iscrizioni albane pag. 207.
(3) *Vigilum romanorum latercula duo caelimontana*, pag. 44. not. 2.
(4) Epigrammata antiquae urbis, fol. 91. b.
(5) Pag. CCCCLXII. num. 1.
(6) Pag. CCCCLXIII. num. 2., et pag. DLXXX. num. 11.

L . RAGONIO . L . F . PAP
VRINATIO . TVSCENIO
QVINTIANO
DOMINO . OB . HONOREM
TOGAE . VIRILIS
OFELLIVS . SER . ARK

Qnibus et muratorianae sequentis epigraphes testimonium si addideris, non erit amplins cur dubites, L. Ragnnii Quintiani consulis filium *Tuscenium* fuisse cognominatum (1)

„ *Paderni, in agro tarvisino, ex Burchelato* „

L . RAGONIO . L . F .
PAP . TVSCEN .
QVINTIANO . C I . (2)
OB HONOREM
TOGAE VIRILIS
VERECVNDIVS SER
DOMINO OPTIMO

Si igitur *Tuscenii* nomen, ut filii, ita patris quoque proprium fuisse censendum sit, ad eum referendum esse nostrum fragmentum facile quivis concedet. Qund si Ragnnii consulatus anno vulgaris aerae 235. esset tribuendus, (de quo tamen valde eum Marinio (3) dubitamus) *Flaviae* quoque *Venustae*, quam Tuscenii uxorem eredimus, pater nobis ex hoc innotesceret; qui non alius certe tune fnerit ab eo *Venusto*, quem anno ab urbe condita 993., vulgaris aerae 240., fasces obtinuisse constat; atque ex mutiln hoc marmore *Venusti* etiam praenomen nosceremus, en quod *Flavia Venusta*, Tuscenii uxor, *Titi* filia in ipso adpelletur.

Neque vero silentio praetereundum ducimus (quamquam in rem nostram non faciat) in vaticana bae basi, quae L. Ragnnii consulis statuam aliqnando sustinuit, *Tuscenii* nomen nullimode adparere, quemadmodum neque in alia illa basi adparet, quae a Maffeio (4), ae Muratorio fuit edita (5)

„ *In museo vaticano, in marmorea basi, litteris ad veterum mss. formam quam maxime accedentibus.* „

L . RAGONIO L . F . PAP . VRINATIO
LARCIO QVINTIANO . CoS
SODALI HADRIANALI LEG LEG
XIIII GEM DONIS . MILIT . DONATO AB .
IMP . COMMODO ANTONINO AVG
PROCOS . PROV SARDIN IVRIDICO
PER . APVL . PRAEF F D PRAET
AED . PL . Q̄ . PR . PR . PROVINC .
AFRICAE . SEVIRO
TI . CL . PHAEDIMVS
H . C

(1) Mur. pag. 739. num. 6.
(2) Legendum omnino C. P., idest *clarissimo puero.*
(3) Marini Atti dei fratelli arvali pag. 355.
(4) Maff. mus. veron. pag. cxm. num. 1.
(5) Novus thesaurus inscript. pag. 359. num. 2.

AD NVMERVM 113. *Append. tab. XXII. num.* 3.

De hac inscriptione, quae detritis admodum litteris aegre in marmore legitur, nihil omnino neque Turrigius habet, neque Dionysius et Cancellierius, neque quisquam alius. Eam nos in vaticanae bibliothecae codice, qui numero 5253. insignitur, folio 148. scriptam, prout etiamnunc in marmore legitur, invenimus, ubi praeterea notatur in pavimento basilicae tunc temporis exstitisse. In gruteriano quoque thesauro editam invenies, verum adeo deformatam Castalionis exscriptoris incuria, a quo eam Gruterus accepit, ut alia prorsus videatur; in hunc enim modum pag. DCCCCLII. num. 9. editur

„ *Romae, in basilica sancti Petri.* „

RESIAE VENERIAE
LIB . ET . CONIVGI
INCOMPARABILI
C. RESIVS SOCRATES
B . M . F

Veneriae nomen a christianis quoque feminis passim usurpatum constat, tum ex aliis titulis, tum ex hoc, quem anno 1830. in coemeterio sancti Hippolyti repertum exscripsimus:

IVNIA VENERIA BENE
MERITA PARENTORVM (*sic*)
VIX CVM BHOS (*sic*) AN XVIIII

Lapidem tamen nostrum ad christianam feminam minime pertinere suadent litterae D . M, quae in prima linea exaratae olim fuerant, ac deinde scalpro abrasae sunt ita, ut aegre illarum vestigia agnoscantur: quod ideo factum putamus, ne marmor, cum in basilicae pavimento situm esset, quidquam ethnicae superstitionis in se retineret. Videsis quae supra ad numerum 78. pag. 47. adnotavimus.

AD NVMERVM 114. *Append. tab. XXIII. num.* 3.

E navis borealis pavimento, in quo inversa iacebat, mutila prodiit haec inscriptio, quae in fronte operculi marmoreae arcae rudibus litteris insculpta olim fuerat. Bosii diligentiae, studiosissimi harum rerum viri, debemus integram eam ad nos usque pervenisse: eum enim, ipso teste, (*) in veteris basilicae pavimento anno 1590. reperta fuisset, artificum deinde incuria, et numquam satis vituperanda inscitia factum est, ut pavimento cryptarum sternendo inservierit, et in plura frusta diffracta iterum obruta fuerit; de qua miserrima tot insignium basilicae veteris monumentorum clade superius verba fecimus. Hanc igitur ex Bosii apographo suppletam in tab. XXIII. nostrae Appendicis num. 3. sistimus, atque ita legendam iudicamus

VALERIA LATOBIA HONESTA FEMINA QVAE VIXIT AN
NOS XLII. MENSES III. DIES XV. FVIT VIDVA
ANNOS XII. DEPOSITA IV. IDVS
SEPTEMBRIS. IN PACE.

(*) Roma sotterranea edit. anni 1632. pag. 59.

Qua in re praeivit iam nobis vir clarissimus Caietanus Marinius, qui (1) litteram O in hoc lapide, loco τοῦ H, errore quadratarii manifesto, positam esse contra Bottarium (2) pronunciat, ut *honesta femina* per ea litterarum compendia O. F. Latobia ista vocetur. Cuius alterum quoque habemus exemplum in quadam inscriptione, quae in claustro extramuranae divi Pauli basilicae adservatur, ubi litterae O. F. *honestam feminam* absque ulla controversia designant, sicuti Marinius iampridem vidit. (3) Haec doctissimi viri potior nobis sententia videtur, atque eos errasse contendimus, quotquot in hoc marmore graecam litteram θ, loco latinae O, agnoverunt. Primo enim quaerimus quorsum pertinuisset nigrum θ heic adhibere, cum epitaphium mortuae mulieri inscriberetur? Occurrit sane multis in marmoribus haec nota θ illorum nominibus praefixa, quos vita functos indicat: verum (ut omittamus in solis ethnicorum saxis hoc reperiri) id fieri solebat dumtaxat, cum indicandum esset, aliquem obiisse ex pluribus unius eiusdemque sepulcri dominis; cuius ideo nomini haec nota praefigebatur, quemadmodum littera V. (*vivit*) superstites denotabat. Praeterea, etsi inventum a nobis marmor hac ipsa in littera confractum deficiat, tantum tamen illius elementi adhuc superest, ut non θ, sed O plane fuisse olim insculptum adfirmari possit; nulla enim transversae lineolae vestigia, quae saltem aliqua esse debuissent, adparent.

Nemini autem mirum videatur annos heic memorari, quos vidua ex egerit christiana ista femina: saepe enim in suis epitaphiis christianos hoc facere consuevisse notum est, apud quos magno in pretio viduarum semper castimoniam habitam esse constat, ac rarae (primis certe saeculis) erant secundae nuptiae. Quarum inter tot christianorum epitaphia, nonnisi unicum exemplum novimus, in hoc apud Bonarotium (4) titulo, quem *Vitalis* vitricus privignae *Victoriae* posuit

VITALIS PATRA
TER FILIATRAE
SVAE VICTO
RIAE MERE
TI SCRISI
IN PAECE (5)

Denique nulli, vel leviter hisce studiis imbuto negotium facesset littera B, quae in vocibus BALERIA et AEDVA locum obtinet litterae V, cum apud veteres et in scriptis et in vulgi sermone saepissime duo haec elementa invicem permutata fuisse constet; illud potius animadversione dignum videtur, syllabam primam in AEDVA ipsammet prae se ferre vocalem, qua nunc vernacule illam in voce *vedova* proferre solemus.

AD NVMERVM 115. *Append. tab. XXIV.*

Vetustissimam divi Petri aeneam statuam basis haec a Richardo cardinali Oliverio facta sustinuit usque ad Benedicti XIV. pontificatum, qui novam in eius locum variis ac pretiosis incrustatam marmoribus basim substituit. Quicunque veteris illius basis formam accuratius nosse cupit, adeat is canonici Romani, sive potius Petri Mallii, descriptionem vaticanae basilicae a Paulo de Angelis editam, ubi in prima statim libri fronte delineatam inveniet.

(1) Atti dei fratelli arvali, pag. 612.
(2) Sculture, e pitture sagre estratte dai cimiteri di Roma, tom. 1. pag. 75.
(3) Iscriz. albane, pag. 18.
(4) Vetri cemeteriali, pag. 153.
(5) Hoc est *Vitalis patraster filiastrae suae Victoriae merenti scripsi, in pace.* Voces *patraster*, *filiastra* alibi quoque occurrunt in antiquis lapidibus, neque ut plebeia vocabula temere sunt reiiciendae, cum eadem deriventur analogia, qua *oleaster*, *pinaster*, atque his similia.

Etsi autem singularis erga apostolorum principem cardinalis illius pietas iure ac merito sit laudanda, quae illum impulit, ut fatiscentis forsitan basis loco aliam elegantiorem ac firmiorem supponeret, dolendum tamen est, ob illorum temporum inscitiam periisse tuuc epigraphen, quae sub hoc antiquissimo divi Petri simulacro iam inde ab octavo saeculo legebatur, graecis iambis, neque iis profecto inelegantibus (quantum quidem licet coniicere) exarata. Nonnulla eius epigrammatis verba notissimus einsidlensis bibliothecae codex nobis servavit, quae tamen ab imperito graeci sermonis viro descripta, nonuisi mancam epigraphen offerunt, quemadmodum videre est apud Mabillonium, qui in veteribus analectis ea edidit, tom. IV. pag. 505.

AD NVMERVM 116. *Append. tab. XXV. num.* 3.

Fragmentum hoc, quod in pavimento inversum repertum est, *Dagalaifi* consulatum prae se fert. Duo in fastis habentur huiusce nominis consules, quorum unus anno aerae vulgaris 366. una cum Gratiano nobilissimo puero consul in occidente processit, Valentiniano et Valente imperatoribus; alter autem anno 461. orientalis consul conlegam in occidente habuit *Severinum*. Cuinam ex hisce annis tribuendum sit marmor, non facile est diiudicare, cum undique mutila inscriptio nullum, vel minimum, indicium praebeat, cuius ope id adsequi possimus.

AD NVMERVM 117. *Append. tab. XXV. num.* 4.

Mutilam hanc inscriptionem in pavimento repertam, ubi inversa existebat, ad annum aerae vulgaris 382. referendam putamus, quo Flavius Antonius in oriente, Afranius vero Syagrius in occidente consulatum gesserunt. Hoc ex eo maxime evincitur, quod Syagrii nomen secundo loco sit positum; postrema enim vocolae ET littera illi praeit, quae aperte indicat in deperdita marmoris parte consulis alterius, utpote prioris, nomen praecessisse. Atque hoc fieri minime poterat anno 381., in quo Postumius Syagrius (longe alius a Flavio Syagrio anni sequentis consule, chronologorum omnium consensu) prior consul processit una cum conlega Flavio Annio Eucherio. Quamquam et illud reticendum non est, Eucherium nempe Postumio Syagrio praeponi in L. 40. tit. IV. *de transactionibus* lib. 2. codicis iustinianei.

Syagrium anni 382. consulem, eiusque conlegam Antonium ineditus (quantum quidem sciamus) lapis iste commemorat, quem una cum aliis multis christianis inscriptionibus vaticana bibliotheca servat (*)

INNOCENS RECESSIT INNOCENTIVM MIsERICoRS FV^T^I
QVIS NON DOLVIT ETATI TVAE PIAsQ; LACRIMAs FV^IT^D
IN TE SPES FVTVRA EXPECTABATVR I (*sic*) PER TE
PER TE GLORIA PERENNIS CELERINE FILI
FIDELIs QVIESCIS IN PACE OVI IIXIT (*sic*) ANN I
M IIII D VI KAL OCT ANTINO (*sic*) EI SYAGRIO

Antonium autem Syagrii conlegam (cuius nomen manifesto quadratarii errore ANTINVS in marmore scribitur) constantinopolitanum fuisse suspicamur, atque Hypatiae illius patrem, cuius memoria nuper ex pavimento basilicae sancti Pauli extramuranae prodiit. Hanc nobiscum communicatam, nondum tamen a nobis visam, heic in lucem edere iuvat, eo quod consulatu Anicii Bassi, et Philippi (anni videlicet vulgaris aerae 408.) sit insignis

(*) In marmorea tabula longa palmos duos cum besse, lata palmum unum cum triente, rudibus litteris insculptum est hoc epitaphium; quo autem anno, et quo potissimum in coemeterio inventum fuerit ignoramus.

ΤΡΙΑΚΟΝΤΑ ΠЄΝΤΑЄΤΗϹ ЄΝΘΑΔЄ ΚΙΤЄ ΥΠΑΤΙΑ
ΘΥΓΑΤΗΡ ΑΝΤѠΝΙΟΥ ΚѠϹΤΑΝΓΙΝΟΠΟΛΙΤΙϹϹΑ (*sic*)
ΤΗ ΠΡΟ ΔЄΚΑ ΚΑΛΑΝΔѠΝ ΦЄΒΡΑΡΙѠΝ ΥΠΑΤΙΑ (*sic*) ΑΝΙΚΙѠ
ΒΑϹϹΟΥ ΚΑΙ ΦΙΛΙΠΠΟΥ ΤѠΝ ΛΑⱯΠΡΟΤΑΤѠΝ (1)

Non vulgarem certe feminam *Hypatiam* fuisse, vel ex hoc arguere licet, quod intra Pauli apostoli basilicam sepulta fuerit, in quam, primis saltem saeculis, nonnisi paucissimis iisque summae nobilitatis viris, inferendi cadaveris ius concessum esse veri simile est.

AD NVMERVM 118.

Tabula haec aegyptiaci marmoris, quae vulgo *pietra scelerata* adpellatur, eo quod multi super eam martyres cruciati ac caesi fuisse perhibeantur, erat antiquitus in ecclesia sancti Salvatoris de Terione, unde in basilicam veterem translata fuit, ex qua postea in cryptas anno 1606. transiit. Haec ita Turrigius pag. 512. refert. „ La detta chiesa (*sancti Salvatoris* videlicet *de Terione*) fu chiamata di san Salvatore, perchè per la fede del salvatore nostro Gesù Cristo quei santi martiri sparsero il sangue; e scrive il Grimaldi, che qui era quella pietra, sopra la quale patirono il martirio, chiamata dagli inimici della fede cristiana *pietra scelerata*, la quale hora si conserva sotto le sacre grotte vaticane, trasportata da quella a questa chiesa, e vi è tal iscrittione in marmo. *Super isto lapide multa corpora sanctorum martyrio caesa sunt. Erat in veteri basilica ad laevam partem iuxta sacellum sanctissimi sudarii. Anno domini* 1606. „ Rursus in basilicam novam ex eius hypogeo delatam fuisse constat, etsi annus quo id factum est, adsignari certo non possit; videtur tamen id contigisse circa superioris saeculi initium, cum Epiphanius Gizius, in basilicae descriptione Romae anno 1721. typis impressa, apertissime tradat pag. 40. hanc tabulam adfixam exstare parastatae illi, quae prima ad dexteram introeuntibus basilicam occurrit, supra aquae lustralis vas. Tandem, Briccolanio teste, (2) in sacras cryptas anno 1783. iterum concessit. Ecclesia vero sancti Salvatoris, in qua haec tabula erat, adrellabatur *de terione*, sive *iuxta terriones*, quod leonianae urbis muro ac turribus proxima esset: a nonnullis vocatur sancti Salvatoris *in macello*, quod multa martyrum millia ibidem loci Neronis iussu caesa fuerint: dicta etiam subinde fuit *de ossibus*, quia in coemeterio proxime illam sito peregrinos, qui Romae obiissent, sepeliri mos erat. Exstructam a Carolo magno ac divite censu auctam constat, in eaque Francorum scholam exstitisse nota res est: superest autem etiamnunc, intra sacrae Inquisitionis aedes, in profanos usus conversa iam inde a Floravantis Martinellii aetate, quem de illa pluribus disserentem vide. (3)

AD NVMERVM 120. *Append. tab. XXVI. num.* 4.

† HIC REQVIESCIT IN PACE IOANNIS V̄Ḣ
OLOGRAFVS PROPINE ISIDORI QVI VIX*it*
ĀN̄N̄. PLVS M̄. XLV DĒP. X KALĒN̄. IVNIA*s*
CONSVLATV VILISARI V̄C̄.

In novi sacrarii fundamentis iaciendis anno 1776. repertam fuisse hanc inscriptionem Cancellierius tradit (4), atque integram operi suo adnexuit epistolam, in qua doctissimus vir Caietanus Migliore illam inlustrandam suscepit. Cui si marmor

(1) Hoc est *Triginta et quinque annos nata heic iacet Hypatia, filia Antonii, constantinopolitana, x. kalendas februarias, consulatu Anicii Bassi et Philippi virorum clarissimorum.*
(2) Descrizione della basilica vaticana, edit. anni 1816. pag. 112.
(3) Roma ex ethnica sacra pag. 389.
(4) De secretariis basilicae vaticanae pag. 1623.

ipsum videre contigisset, numquam profecto putasset *propinam* in *Probinam* esse convertendam: adeo enim perspicue ac nitide vox illa in lapide est exarata, ut nullus ei coniecturae locus omnino possit esse. Neque praeterea ideo inscriptionem graecissare indicandum est, ut ipse autumat, quod in ea *Iohannis* non autem *Ioannes*, et *Vilisarius* non *Belisarius* scriptum inveniatur. Tot enim numero sunt exempla, ne dicamus innumera, quae et in membranis et in saxis litteras E. atque I. promiscue, alteram alterius loco, usurpatas nobis sistunt, ut otio abuti videamur, si intempestive huc ea congesserimus. Non possumus tamen nobis temperare, quin singula saltem utriusque huius pravae scriptionis exempla, nominum videlicet *Ioannis* et *Belisarii*, heic afferamus, quorum primum exhibet lapis a Muratorio inemendate editus (1), qui ex divi Clementis basilica in vaticanam bibliothecam inlatus inter christianas inscriptiones prostat

HIC QVIESCET IOH ANNIS V̄S̄ QVI VIXIT AN

NOS P̄L̄M̄ LXXϚ ET DEPOSITVS XIII KA̅L̅ APRIL CON̅S̅ ATERI

ET PRESIDI V̄V̄C̄C̄

Alterum esto exemplum ea inscriptio, quae in portae epistylio insculpta, et in muro ecclesiae sanctae Mariae in Trivio extrinsecus sita, templum illud a Belisario aedificatum his versibus docet

HANC VIR PATRICIVS VILISARIVS VRBIS AMICVS
OB CVLPE VENIAM CONDIDIT ECCLESIAM.
HANC IICCIRCO (*sic*) PEDEM SACRAM QVI PONIS IN EDEM
VT MISERETVR EVM SEPE PRECARE DEVM.
IANVA HEC EST TEMPLI DOMINO DEFENSA POTENTI. (2)

Postremo si accuratius epitaphii huius apographum cum viro illo doctissimo communicatum fuisset, non erat cur de numero annorum holographi nostri tantopere esset sollicitus: *quadraginta* enim et *quinque* integris annis, minime vero *quatuordecim*, eum vixisse manifesta marmoris scriptura dubitare nullo modo sinit.

Ne autem quidquam, quod ad inscriptionem pertinet, omisisse videamur, notamus heic clarissimi viri Caietani Marinii coniecturam, qua *logographum* pro *holographo* legendum putat (3), nullo pacto posse a nobis probari; quod et marmori ipsi aperiam vim faciat, et nimiae obnoxia sit licentiae. Cum enim singulae quaeque inscriptionis voces ita distincte sint exaratae, ut nullus ambigendi locus relinquatur, quare mendas iis subesse putemus, ac non potius ultro fateamur, aliquid nos in tanta rerum obscuritate ignorare?

(1) Nov. thesaur. inscript. pag. 2002. num. 10.

(2) Habes apud Gruterum pag. MCLXII. num. 10., sed parum emendate. Belisarii aetate longe recentius esse epigramma persuasum habemus; quod tamen a nobis minime ita dictum volumus, quasi ecclesiam ipsam a Belisario aedificatam negemus, sed ut potius veram epigraphes aetatem manifestam faciamus.

(3) Papiri diplomatici, pag. 251. „ Se non vi leggiamo *logographus*, e questo prendiamo per colui, che teneva i conti della *propina*, o *popina* d' Isidoro, sarà assai strana cosa l' udir un uomo chiamarsi *olografo*, giacchè chiunque scriva, appunto perchè scrive, non può non essere *olografo* in ciò che scrive. „

AD NVMERVM 121. *Append. tab.* XXIII. *num.* I.

HIC LEO REQVIESCET OMNIV ....
BONORVM CONSILIATOR Q AN ......
TATIANO ET SYMMACHO . CONSS ....
ET EIVS ALEXAND .... A STATVIS I ....
K . ⊖ . LI . O ....

In veteris sacrarii pavimento inversum repertum fuisse hoc marmor Cancellierius testatur. (1) Consules, qui io eo occurrunt, anuo vulgaris aerae 391. consulatum gesserunt; atque eorum prior perperam a noooullis *Titianus* dicitur, cum *Tatianus* et in nostro et in aliis passim marmoribus vocetur. (2) Porro Leo iste *bonorum consiliator* adpellatur, sive (quod idem est) *bonus consiliator*, more tum apud ethnicos, tum apud christianos usitatissimo, quo in defunctorum titulis elogia saepe adscribi consueverunt; cuius moris exempla, ubique obvia, huc adferre supervacaneum ducimus. (3) In quarta linea legendum procul dubio est A STATVIS, quod primum nos accurata marmoris inspectione animadvertimus: (4) desiderari praeterea dextrorsum nonnulla inscriptionis verba facile legentibus patet. Negotium facessunt litterae, quae in linea postrema occurrunt, de quibus ingenue fatemur incompertum nobis plane esse, quidnam eae sibi velint. Neque enim satis placet, quod primum in mentem venit, eas partim graecas, partioı vero latinas notas esse Δ Θ . LI, atque ita legendas et interpretaodas

„ λυκαβάντων θανὼν . LI. „
„ *mortuus annorum . LI.* „

adeo nt per eas litteras anni *quinquaginta* et *unus*, quos Leo vixerit, indiceutur. Insolens profecto valde esset, ne dicamus absurdum, graeca verba atque notas, nulla praesertim ad id cogente necessitate, latinis admixtas. Cum autem et aliae voces, quae litteras illas subsequebantur, una cum deperdita marmoris parte interciderint, operae pretium non est in re adeo obscura diutius inmorari.

Non inopportunum tamen putamus nonnulla heic de quodam epitaphio adnotare, in quo annus defuncti emortualis latinis simul et graecis elementis indicatur; ob id maxime, quod in eo explicando Baronius primum, (ad annum Christi 770.) tum Vghellius (Ital. sacr. tom. I. pag. 1025.), ac tandem Corsinius (Not. graec. dissert. III. pag. LIV. et seqq.) operam snam frustra hactenus, nostro quidem iudicio, impenderunt. Ad nepesinum quemdam episcopum pertinet, Ioannem nomine, qui cum Romae obiisset, in sancti Sabae ecclesia sepeliri voluit, in qua Panvinii et Baronii aevo marmor, etsi longa aetate male habitum, adhuc supererat. Epitaphii huius apographum in vaticano codice 6040. fol. 89. ad alia properantibus nobis se se nuper obtulit, quod summa fide exscriptum heic una cum eius explicatione, quae ibidem adiicitur, repraesentamus.

(1) De secretariis basilicae vaticanae pag. 1622. num. II.

(2) Vide Murator. thesaur. vet. inscr. pag. 393., et Pagii criticam in annales Baronii, tom. I. pag. 580.

(3) *Aurelius Agapitus Dracontius* OMNIBVS AMICVS OMNIBVS CONVICTOR BONVS laudatur in titulo apud Boldett. pag. 386., quemadmodum *Sabinus* AMICVS OMNIVM dicitur in altero titulo pag. 545.

(4) Huiusmodi officium servis demandatum fuisse discimus ex hac inscriptione, quae in sepulcro libertorum Liviae augustae anno 1726. reperta fuit. AGRYPNVS . CAESAR AVG . MAECENATIAN A . STATVIS Gor. monum. libertorum et servorum Liviae augustae, pag. 157. num. CXXV.

= „ 500.	300.	100.	500.		
A.	B.	C.	D.		
250.	40.	400.	200.	100.	
E.	F.	G.	H.	I.	(cum circulo mille)
150.	50.	1000.	900.	11.	
K.	L.	M.	N.	O.	
7.	500.	80.	7.	160.	
P.	Q.	R.	S.	T.	
5.	10.	159.	2000.		
V.	X.	Y.	Z.		

Possidet A. *numero quingentos ordine recto.*
Et B. *tercentum per se retinere videtur.*
Non plus quam centum C. *littera fertur habere.*
Littera D. *velut* A. *quingentos significabit.*
E. *quoque ducentos et quinquaginta tenebit.*
Sexta quaterdenos gerit F. *quae distat ab alpha.*
G. *quadringentos demonstratura tenebit.*
H. *quoque ducentos per se designat habendos.*
I. C. *compar erit , et centum significabit.*
K. *quoque centenos et quinquaginta tenebit.*
Quinquies L. *denos numero designat habendos.*
M. *caput est numeri , quem scimus mille teneri.*
N. *quoque nongentos numero demonstrat habendos.*
Vndenos facit O. *cognoscas sic numerando.*
P. *similem cum* S. *numerum monstrntur habere.*
Q. *velut* A. *cum* D. *quingentos vult retinere.*
Octoginta dabit tibi R. *si quis eam numerabit.*
S. *vero septenos numeratos significabit.*
T. *quoque centenos et sexaginta tenebit.*
V. *vero quinque dabit tibi si recte numerabis.*
X. *duplex denos numero tibi dat retinendos.*
Y. *dat centenos et quinquaginta novenos.*
Vltima Z. *canens finem bis mille tenebit.*

Epitaphium Ioannis episcopi nepesini in monasterio sancti Sabae , Romae.

HOC HVMATA IACENT IOHANNIS MEMBRA SEPVLCRO
QVI NEPE FVERAT PRAESVL IN VRBE QVIDEM.
NE NEPA SAEVA SIBI NOCEAT SVCCVRRE REDEMPTOR
ET QVAE CONTRAXIT CRIMINA . . . . (*)
NEMPE LOCO SANCTO VOLVIT SEPELIRIER ISTO
QVO PER HOS SANCTOS INVENIAT REQVIEM.
EXTENSVM PER Θ . P . Q . E . Δ , CONNEXA
CHRISTI ANNVM MONSTRANT , QVO TRANSIIT ISTE SACERDOS.
OBIIT IN PACE II. KAL. NOV.
Є ⅄ O I

Si colligantur numeri quinque harum litterarum , partim latinarum, partim graecarum , fiunt anni 770., *ut videatur epitaphium Ioannis illius episcopi nepesini, qui Pauli papae constituto subscripsisse legitur anno* 761., *ut in tomo nono annalium pag.* 250. „ =

Θ.	9
P.	7
Q.	500
E.	250
Δ.	4
	770

(*) Non male Corsinius e litterarum vestigiis a se in Donii schedis deprehensis versum ita supplendum censet. *Et quae contraxit crimina terge pius.*

Atque haec quidem anonymus vaticanae schedae auctor habet; quae cum ipsissima sint Baronii verba, vel ab ipso Baronio scripta, vel ex eius opere typis impresso desumpta videntur. In quibus illud primum est animadvertendum, versus a Baronio adlatos (quos unde exscripserit reticet, sed ante eum a Ioanne Noviomago lib. 1. de numeris, cap. 10. descriptos testatur Cangius in glossario mediae et infimae latinitatis, littera A.) in statuenda litterarum quarumdam arithmetica potestate discrepare aliquantum ab iis, quos idem Cangius ex manuscripto Vgutionis pisani libro protulit. Quidquid de hac discrepantia sentiendum sit, errasse certe Baronium constat, cum litterae P. numerum septenarium adsignat

P. *similem cum* S. *numerum monstratur habere.*

Valerius enim Probus in notis (1), quae omnium manibus teruntur, aperte docet P. litteram in numeris idem valere atque litteram G., *quadringentum* scilicet; quod et Vgutionis versus a Cangio editi monent

P. *similem cum* G. *numerum monstratur habere.* (2)

Littera quoque Q. eumdem denotat numerum, quem littera P., nempe 400., ut in Vgutionis versibus habetur, cui et ipse Cangius adsentitur,

P. *similem cum* G. *numerum monstratur habere,*
Quod Q. *hic sequitur numerum similem retinendo.*

Quare tota supputationis a Baronio initae ratio erronea deprehenditur; atque litterae Θ. P. Q. E. Δ., conlectis in unum earum numeris, annum omnino indicant aerae vulgaris 1063., quo Ioannes iste nepesinus episcopus obiit. Et sane, prima statim fronte, quicunque, vel parum in hoc studiorum genere versatus, videt epitaphii huiusce stylum *decimum*, vel *undecimum* saeculum redolere, quando prostratis diutina barbarie bonarum artium studiis, inficeta haec epitaphia condebantur. Multa, qoae adhuc supersunt, aevi illius exempla huc cougerere piget, ut fidem dicto asseramus.

Θ.	9.
P.	400.
Q.	400.
E.	250.
Δ.	4.
	1063

Nostrae praeterea supputationis veritas probatur quoque ex graecis illis notis ad finem epitaphii non temere adiectis, qoarum nullam inmerito rationem Baronius habuit, et quas non satis felici conatu Corsinius explicare tentavit. Fallitur namque vir ille eruditissimus, cum Baronii sententiam sequutus per eas notas numerum 770. significari potat. Ac primum quidem qnaerimus, quorsum pertinuisset eumdem annorum numerum in lapide, diversis elementis, latinis primum, deinde graecis, bis adnotare? Nonne veri magis simile est, graecas litteras eum annum ex graecorum computo designare, qui respondeat illi, quem latinae litterae indicant? Secundi praeterea elementi fignra, ut in vaticani codicis apographo scribitur, huiusmodi est ⅄, non autem Y, uti prave in edito annalium libro, et penes Vghellium atque Corsiniom repraesentatur. Neqoe vero in tot, qnae hucusqoe vel ipsi vidimus, vel edita et exscripta ab aliis graeca marmora legimus, insolitam illam et inversam litterae Y figoram unquam deprehendisse meminimus. Quare cum anno vulgaris aerae 1063. (quem in epitaphio denotari per latinas litteras vidimus) respondeat ex graecorum supputatione annus ab orbe condito 6571. (qni apod graecos, abiecta millenariorum nota, sic ΦOI scribi consuevit), levissima secundi illius elementi ⅄ inmutatione facta, coniicimus quod in vaticani codicis apographo est ⅄, fuisse in marmore Φ. (3) Ex quatuor igitur litteris ЄΦOI prima quidem Є, ut ante nos recte Corsinius animadvertit, vocem ЄTOYC, vel ЄTЄI, significat: reliquae autem tres ΦOI notae sunt numerales, quibus annus 571. septimi millena-

(1) Edit. venet. Ioan. Tacuini tridinensis an. 1525., et inter grammaticae latinae auctores antiquos ab Helia Putschio Hanoviae editos an. 1605.

(2) Facile ex vitiosa codicis, quo Baronius usus fuerit, scriptura littera S. in versum potuit inrepere loco alterius valde illi consimilis Ϛ.

(3) Coniecturam hanc nostram mirifice donianae schedae confirmant, quas Corsinius vidit, et in quibus ЄΦOI, non autem ЄYOI scriptum esse testatur.

rii denotatur. Atque utinam sive ipse lapis adhuc exstaret, ut certiores de vera eius lectione essemus, sive aliud ipsius apographum accuratius nancisci licuisset! (1) Sed neque in sancti Sabae ecclesia integrum reperire illud potuimus (2), neque in vaticanis Panvinii schedis; quem tamen epitaphium sibi exscripsisse discimus ex codice vaticano 6781. fol. 107., et 388., etsi male Ioanni papae xiv. ab eo tribuatur. (3)

Neque vero parum ponderis huic nostrae opinioni additur ex eo, quod in episcoporum serie, qui nepesinae ecclesiae saeculo xi. praefuerunt, tres tantum episcopi occurrant, anno videlicet 1015. *Crescentius*, tum anno 1042. *Crescens*, anno demum 1098. *Albertus* pseudo-cardinalis; qui tanto invicem a se distant temporis intervallo, ut commode unus vel plures episcopi locum inter eos, ac maxime inter *Crescentem* et *Albertum*, possint habere.

Nemini tandem a vero multum aberrare videbitur, quod olim de hoc Ioanne coniiciebamus, fuisse nempe eum monasterii sancti Sabae abbatem. Etsi enim in lapide nulla prorsus de hoc fiat mentio, cum tamen in catalogo abbatum, quem Odericius exhibet (4), inveniatur *Ioannes* quidam anno 1060., post quem alius anno 1075. nomine *Maurus* occurrit, facile fieri potest, ut hic *Ioannes* unus idemque fuerit cum episcopo nepesino *Ioanne*, qui ad sepulturam hac de caussa in ecclesia sancti Sabae, uti epitaphium monet, sibi locum elegerit.

AD NVMERVM 122. *Append. tab. xxvii.*

Epitaphium istud metrice scriptum Turrigius pag. 440. tradit prope borealem

(1) Suspicati semper sumus, graecas illas notas ad inscriptionis calcem adpositas, male ab exscriptoribus fuisse lectas; cum ita scriptae essent ϛφὑι, atque annum ab orbe condito 6571. iuxta aeram constantinopolitanam designarent, qui anno vulgaris aerae 1063., uti supra vidimus, respondet. Ii enim, qui lapidem exscripserunt, in illis litteris emortualem episcopi defuncti annum ex graecorum computo latere minime suspicati, facile senarii numeri ἐπίσημον ϛ in ϵ converterint.

(2) Paucissima inscriptionis huius verba undique detruncata, ita edita sunt a Gallettio (inscr. rom. infimi aevi Romae exstantes, tom. i. pag. 417. num. 3.)

„ *In sancti Sabbae.* „

. . . . EPELIRIER ISTO
. . . . T . . . .
. . . .
. . . . SACERDOS
. . . . K̄L̄ NŌV̄

Ea nos ex marmoris fragmento, quod in pavimento adhuc superest, delineata, et uno vocabulo aucta, in aes incisa in tab. xxxv. num. 4. repraesentamus; intercidisse vero reliquam epitaphii partem putamus, quo tempore pavimentum omne refectum fuit, et sancti Sabae monasterium instauratum.

(3) In inscriptionum christianarum sylloge, quam a Caietano Marinio confectam vaticana bibliotheca magna ex parte ineditam servat, tale epitaphii huius apographum exstat, tom. ii. cap. xx. pag. 381. num. 5.

„ *Romae, in sancti Sabae.* „

† HOC HVMATA IACENT IOHANNIS MEMBRA SEPVLCHRO
QVOD NEPE FECERAT PRESVL IN ARTE QVIDEM
NE NEPE SAEVA SIBI NOCEAT SVCCVRRE REDEMPTOR
ET QVE CONTRAXI CRIMINA ЕР . . E PIVS . . . . TERGE
ANTE LOCO S̄C̄Ō VOLVIT SEPELIRIER ISTE
QVO PER HOS SANCTOS INVENIAT REQVIEM
EXTRA SVM PER Θ Ρ Ϥ . ΈΔ CONEXA
X̄P̄Ī ANVM MONSTRANT
QVOT . . . . . . ISTE SACERDOS OBIIT IN PACE II K̄L̄ NŌV̄
ϵ ⅄ O I

(4) Sylloge veterum inscr. pag. 284.

veteris basilicae navim, quae in Alpharani ichnographia littera G. denotatur, anno 1607. fuisse repertom, atque iotegrom ita edidit

Hic Verus, qui semper vera locutus
Post mortem meruit in Petri limina sancta iacere.
Ossa tenet tumulus, mens est in caelo recepta:
Cuius vita bona requirunt dulces amici.
Hos Quintilla tibi dictabit versus amatrix,
Quae post morte tua volui me ferro necare,
Sed domini praecepta timens casta me in futuro promitto.
Quinquaginta et sex Verus duxit per secula messes.

Paullo aliter a Grimaldio in vaticano codice 6438. fol. 51. b. refertor, ubi haec de eius inveotione narrantur. = „ *Cavandosi li fondamenti nella nave del volto santo l'anno* 1607. *fu trovata la infrascritta iscrittione in diversi fragmenti, quale era in questa forma, et hoggi in più pezzi si vede sotto le volte del novo pavimento*, 1616., 6 *di ottobre, et in modo, che è difficile metterla insieme per essere in molti pezzi; hora quando fu trovata la posi insieme, et dice così*

Heic in Grimaldii apographo vir tunicatus adstat, sublatis in caelum manibus, orantis habitu.

HIC VERVS QVI SEMPER VERA LOCVTVS
POST MORTEM MERVIT IN PETRI LIMINA S̅C̅A̅ IACERE
OSSA TENET TVMVLVS MENS EST IN CAELO RECEPTA
CVIVS VITA BONA REQVIRVNT DVLCES AMICI
HOS QVIRILLA TIBI DICTABIT VERSVS AMATRIX
QVAE POST MORTE TVA VOLVI ME FERRO NECARI
SEO O̅N̅I̅ PRAECEPTA TIMENS CASTA ME IN FVTVRO PROMITTO
QVINQVAGINTA ET SEX DVXIT PER SAECVLA MESSES. „ =

Nnoc nonnisi unicnm superest eius fragmentum, qood aere incisum, et ex Turrigio suppletum in tabula XXVII. Appeodicis huius exhibemus. In primo autem versu vocem SVBIACET ad iustam carminis mensuram explendam necessario adiiciendam duximus, ac praeterea lioeas ita distinximus, ut ex fragmento adhuc exstante coniectura adsequi potuimus. Ceterum oemo oon videt, quam ioconditi sint et incompositi hi versus, qni cootra grammaticae et quaotitatis canooes multis in locis turpiter peccaot, neque multum ab illis dissimiles suot, qoos a Commodiano christiano poeta scriptos in Collectioue poetarum veterum latinorum licet videre.

AD LITTERAM N. *Dion. tab.* XXXIV. *num.* 2.

Dionysios Turrigium auetorem sequutos tradit marmoream haoc imaginem in Callisti III. momumento exstitisse, atque id confirmare oititor non sola Turrigii anctoritate, sed et mooumeoti illius schemate, quod apud Ciaconium occorrit. In quo tamen, quantum a rei veritate discedat, vel ex hoc demoostratur, quod in Ciaconii schemate Christi imago, angelorum corona stipata, triumphantis in speciem effingatur; haec vero Christom dolentis habitu ac sepulcro insistentem refetat. Aut igitur perperam Ciaconius monumeoti schema exhibuit, aut errasse Turrigium fatendum est. Si tamen ulla Grimaldio fides habenda, qui Callisti III. monumentum vidit, atque descripsit, (uti ad nomerum 41. adootavimus) huiusmodi aoaglyphum in eo numquam exstitit.

AD NVMERVM 124. *Append. tab. XXVIII.*

Membranaceus quidam in vaticana bibliotheca manuscriptus liber exstat numero 833. notatus, qui septingentis circiter abhinc annis exaratus videtur. In eo epitaphia metrice scripta summorum pontificum sexdecim habentur, quae Gruterus antequam codex e Germania Romam commigraret, ad calcem sui thesauri edidit. Incipiunt autem folio 36. brevi hoc, rubricatis litteris, praefixo titulo:

EPYTAPHIA APOSTOLICORVM
IN ECCLESIA BEATI PETRI.

In his Bonifacii papae II. epitaphium huiusmodi folio 36. legitur.

II. ITEM BONIFATII.

Sedis apostolicae primaevis miles ab annis,
Post etiam toto praesul in orbe sacer,
Membra beata senex Bonifatius hic sua clausit
Certus in adventu glorificanda dei.
Mitis adunavit divisum pastor ovile
Vexatos refovens hoste cadente greges.
Iram supplicibus humili de corde remisit
Debellans cunctos simplicitate dolos.
Egit ne sterilis Romam consumeret annus,
Nunc orando fugans, nunc miserando famem.
Quis te sancte parens eum XPO nesciat esse,
Splendida quem tecum vita fuisse probat?

Cuius epitaphii in pavimento medianae cryptarum navis lacerum fragmentum postremarum trium linearum, a nobis iampridem observatum et exscriptum, ut inde tolleretur, et parieti, supplemento addito, adfigeretur, operam dedimus. Viderat quidem illud olim Turrigius, sed perperam ad Innocentium VII. pertinere sibi persuaserat: nam, cum de Innocentii VII. sepulcro agit pag. 421., haec habet. „ *Il suo antico epitafio fu rotto per inavvertenza al tempo di Giulio II., et hora io vi ho trovato in terra un picciol frammento, che solo dice*

Splendida . sedit an . 2 . dies 21 . „

In quo animadvertendum est, singulari plane Turrigium oscitantia ita male fragmentum descripsisse, ut vocem QVIS, a qua postremi distichi hexameter incipit, vel caecutienti conspicuam, omnino omiserit; carmina praeterea in lapide haberi ne suspicatus quidem fuerit; ac tandem (quod gravius est) dierum numerum perverse descripserit. Quod postremum in caussa illi fuit, ut fragmentum ad Innocentium VII. referendum putaret, quem annos integros duos, ac praeterea dies viginti et unum sedisse constat. Neque minus culpandus est Dionysius, qui cum ob oculos insigne hoc fragmentum haberet, ac tantum non quotidie pedibus calcaret, numquam illud legisse videtur. Haec enim et ipse, de Innocentii VII. sepulcro disserens, pag. 155. habet. „ *Cuius* (nempe *Innocentii VII.*) *epitaphium, cum vetus basilica vaticana lu-*

lio II. pontifice solo aequaretur, incaute confractum est, Turrigio teste pag. 421., qui tamen illius fragmentum nactus, diligenter exscripsit, et in hunc modum recitat

Splendida . sedit an . 2 . dies 21 . „

Etsi autem in vaticano codice titulus huic epitaphio adscriptus ITEM BONIFATII nullimode indicet ad quemnam Bonifacium in serie pontificum illud pertineat, ea tamen, quae in ipso continentur, dubitare prorsus non sinunt, quin ad secundum huius nominis pontificem sit referendum: quinto enim versu laudatur Bonifacius, quod ortum in ecclesia schisma sustulerit

Mitis adunavit divisum pastor ovile ;

tum quod fame urbem urgente

Egit ne sterilis Romam consumeret annus,

Nunc orando fugans, nunc miserando famem.

Quae duo nonnisi secundo Bonifacio convenire posse palam est; qui cum, exorta inter clerum ac populum dissensione, pontifex electus fuisset una cum Dioscoro, *reconciliavit* (ut ait Anastasius in eius vita) *clerum, qui eius* (Dioscori videlicet) *ordinationi consenserat*, itemque in magna annonae caritate *alimoniis multis in periculo famis clero subvenit*. Quare perperam Paulus de Angelis in suis ad canonicum Romanum, sive Petrum Mallium, notis pag. 73. hoc Bonifacii papae I. epitaphium esse adfirmavit.

Animadvertendum quoque heic est, eum qui vaticanum codicem scripsit, hoc sibi tantum proposuisse, ut quotquot memoria digna in ecclesiis carmina per Italiam, ac Romae praecipue, legisset, ea in unum quasi corpus colligeret: quare pontificum epitaphia metrice scripta illuc congessit, atque in singulis ea omnia sciens prudensque praeteriit, quibus oratione soluta, quot quisque pontifex annis sedisset, adnotabatur. Innotuerat hoc iampridem ex Gregorii magni epitaphio, quod in praefato quidem codice folio 73. exstat, sexdecim tantummodo versibus constans, a Petro autem Mallio in vaticanae basilicae descriptione, hisce insuper adiectis ad finem verbis, integrum refertur

HIC REQVIESCIT GG. I. PP. QVI SEDIT ANOS XIII. MENSES. VI. DIES. X. DEPOSITVS. IIII. IDVS. MAR.

nunc vero clarius id ex Bonifacii II. epitaphio demonstratur, in quo carminibus statim subiiciuntur haec verba

SED. ANN. II. D. XXV....

quae codicis vaticani scriptor consulto omisit, utpote nihil ad propositum suum pertinentia.

Magno autem in pretio minimum istud epitaphii deperditi fragmentum habendum esse ex hoc potissimum intelligas, quod certo eius testimonio innotescat, sedisse Bonifacium II. biennio integro, ac diebus XXVI. (1); quod etsi Anastasius in eius vita tradiderit, videbatur tamen in dubium posse revocari, cum antiquissimus vaticanus catalogus a Schelstratio editus (2) Bonifacium obiisse VI. kalendas novembres, ac proinde dies XXVIII. ultra biennium sedisse tradat.

AD NVMERVM 125. *Append. tab. XXIX.*

Gregorium papam, cognomento *magnum*, in basilicae porticu sepultum fuisse, tum coaevus eius vitae auctor anonymus, tum Ioannes diaconus his verbis memoriae prodidit. „ *Huius praeterea venerabile corpus in extrema porticu basilicae*

(1) Scriptum in marmore olim erat D. XXVI., verum cum e pavimento sublatum fuit, extrema littera I. fere tota cum minutis diffracti lapidis particulis excidit.

(2) In appendice ad tom. 1. antiquitat. eccles. pag. 647.

beati Petri apostoli ante secretarium tunc antiquissimum, quo videlicet Leo, Simplicius, Gelasius, atque Symmachus apostolicae sedis episcopi cum nonnullis aliis tumulati suis hactenus epitaphiis praedicantur, sepultum tali titulo decoratur

SVSCIPE TERRA TVO CORPVS DE CORPORE SVMPTVM
REDDERE QVOD VALEAS VIVIFICANTE DEO etc. „ =

Quod epitaphium Petrus quoque Mallius, cuius aetate integrum adhuc supererat, in basilicae descriptione retulit. Eius nos duo minima fragmenta quinti ac sexti distichi, a nemino antea animadversa, in pavimento australis cryptarum navis agnovimus, etsi invicem a se divulsa diversis in locis essent. Primi autem hexametri initium, tres tantummodo litteras complectens, ex hypogei pavimento prope Iunii Bassi sarcophagum prodiit, ubi inversum iacebat: adeo foede praeclarum hoc marmor in minima frusta redactum huc illuc in basilicae demolitione dispersum fuit! (1)

Porro elogium istud Gregorii sepulcro, post multos ab eius obitu annos, inscriptum fuisse necesse foret, si Petrus Oldradus mediolanensis archiepiscopus, qui anno 805. supremum diem obiit, eius auctor habendus esset; quemadmodum narratur in opere, cui titulus *Successores sancti Barnabae apostoli in ecclesia mediolanensi*, quod e cardinalis Sirleti codice primum Ioannes de Deis, ac deinde Eugenius Cattaneus telesinus episcopus edidit. (2) Ibi namque, cum de Petro Oldrado agitur, haec pagina 35. habentur. „ *Hic iussu Hadriani papae I. scripta sancti Gregorii in eius mortem a populo romano dispersa collegit, collecta emendavit, et in libros redegit* . . . . *laudes sancti Gregorii papae hoc carmine celebravit*

SVSCIPE TERRA TVO CORPVS DE CORPORE SVMPTVM etc. „

Verum, ut omittamus nihil prorsus huiusmodi in vaticano cardinalis Sirleti codice haberi, (3) adeo diserte Ioannes diaconus titulum, quem totum refert, tumulo adpositum narrat, cum beati pontificis corpus humatum fuit, ut quo pacto fides ei deneganda sit non videamus. Accedit etiam, quod valde absurdum foret, nullo inscripto epitaphio, tantum pontificem sepulturae traditum, cum iam inde a quinto saeculo hunc morem obtinuisse constet, ut metrica romanorum pontificum sepulcris elogis inscriberentur, quemadmodum Leonis I. cognomento *magni*, atque Anastasii *secundi* epitaphium demonstrat. (4)

Neque a re alienum erit inscriptionem heic referre, in qua primum gregoriani epitaphii distichon, soloecismis totum scatens, occurrit. Edita iampridem fuit a Caietano Marinio (5), qui in operculo sarcophagi Hurta Romam delati insculptam

(1) Palatini codicis lectionem sequuti sumus, cum iubente nuper sanctissimo domino nostro GREGORIO XVI. totum epitaphium, insertis suo loco fragmentis, marmorea in tabula insculptum fuit; postremae tamen lineae verba, quae in palatino codice desiderantur, ex Petro Mallio desumpta sunt, easque ad calcem marmoris subsecutis temporibus adiecta putamus, hoc maxime argumento innixi, quod primus in illis Gregorius adpellatur.

(2) „ *Successores s. Barnabae apostoli in ecclesia mediolanensi ex bibliothecae vaticanae manuscr. olim card. Syrleti, a Ioanne de Deis primum, mox a P. D. Eugenio Cattaneo cler. reg. congr. s. Pauli, et episcopo telesino editi, et nunc tertio aucti et illustrati. Mediolani* 1628. „

(3) De hoc Petro, mediolanensi archiepiscopo, in codice ottoboniano 759., qui ad Sirletum pertinuit, haec tantummodo fol. 38. ac 39. habentur „ *Petrus Mediolani archiepiscopus quinquagesimus anno domini* DCCLXXXXVIII. (sic pro 788.) *sedit annis XVII., mens. IV. Hic fundavit monasterium s. Ambrosii in Mediolano, quam ecclesiam b. Ambrosius fundavit. Istius tempore Leo III. papa centesimus secundus annis XX., mens. V. Qui falsis criminibus diffamatus a romanis in processione letenearum* (sic) *maiorum, quae ipse instituerat, in festo s. Marci capitur, oculis et lingua privatur, sed ideo* (sic) *restitutus in Franciam ad Carolum magnum pergens ipsum Romam perduxit, a quo in sede collocatur se purgans de infamia. Multi latrones puniuntur. Imperator isto tempore fuit Michael LXXXI. imperavit annis II. anno domini DCCCVI. vir catholicus, omnibus amabilis, qui omnes infideles conabatur extinguere. Isto tempore imperium Constantini ad nihilum devenit, et in Franciam translatum est, ut inferius dicetur. Obiit autem praedictus Petrus anno domini* DCCCV., *primo idus maii. Iacet ad s. Ambrosium.* „

(4) Vide ad calcem Appendicis huius inter metrica romanorum pontificum in vaticano sepultorum epitaphia num. *II.*, et *III.*

(5) Atti dei fratelli arvali pag. 492.

ptam adfirmat: lapis vero, qui nunc parieti adfixus in vaticana bibliotheca adservatur, nooo vel decimo saeculo exaratus videtur, quantom ex pessima litterarum forma, atque ex ipsis verbis licet cooiicere.

RPO
† SVSCIPE TERRA TVO CORPVS ΔE CO RE SVMTA
RETΔE̅R̅ COT BALEAS BIBIFICANTE Δ̅S̅ IC CR
ECORIV V̅M̅ TR̅V̅BIR IN PACE TVTATVR IN
PACE PARITER CVM EIVS PIPERVSA IVCA
LI EIVS

Hoc est: *Suscipe terra tuo corpus de corpore sumptum*
Reddere quod valeas vivificante deo
Hic Gregorius vir magnificus TRFBIR *(ao triumvir ?) in pace tutatur, in pace pariter cum eius Piperusa, iugali eius.* Est autem IC. adverbium loci absque adspiratioois oota scriptum: GREGORIV, reiecta littera finali S., vernaculae dialecti primordia prodit, quao a corrupto vulgi sermone ortum duxit: TVTARI passive adhibetur, et idem est atque *in loco tuto servari*, quod bonorum quoque auetorum exemplis coofirmari posset: PARITER CVM (vernacule dixeris *del pari con*) alibi etiam occorrit pro *simul cum*, *una cum*: IVGALEM aevi tum iofimi, tom medii scriptores *uxorem* passim adpellant: PIPERVSAE denique oomeo si cui insoleos videatur, meminerit is *Piperionis* martyris memoriam recoli die XII. mensis martii. (1)

Seuteotias autem e celebri aliquo epitaphio sumptas, persaepe iisdem verbis, formularum iustar, iu alia epitaphia trausisse, non modo adlatum probat exemplum, atque ea quae Marinius (2) recenset; sed et iste titulus, qui ioter christiaoas vaticaoi musei inscriptiones prostat

VIVERE QVI PRESTAT MORIENTE
A . SE.MINA TERRAE SOLVERE QVI POT
VIT . LETALIA VINCVLA MORTI
DEPOSITVS SEBERIANVS III IDVS ACV
STAS IN PACEM

colus duo priores versus ad epitaphium sancti Damasi papae pertinent, quod ipse sibi heroico huiusmodi carmioe coodidit (3)

Qui gradiens pelagi fluctus compressit amaros,
Vivere qui praestat morientia semina terrae,
Solvere qui potuit Lazaro sua vincula mortis,
Post tenebras, fratrem post tertia lumina solis
Ad superos iterum Mariae donare sorori,
Post cineres Damasum faciet quia surgere credo.

In quo quidem epitaphio vaticanus codex 1578. (ubi folio 26. a. refertur) a vulgata lectione discrepaus propius ad marmor accedit; tertium eoim versum ita exhibet:

Solvere qui potuit legalia *vincula mortis*:

tum in peuoltimo hexametro *Marthae* habet, quod *Mariae* procul dubio est praeferendum. Atque heic uotandus est Iacobi Sirmoodi, summi ceteroqoio viri, error, qui (4) suprascriptos Damasi versus (quos vaticaoo apographo ad unguem si-

(1) Bolland. acta ss. mensis martii tom. 2.
(2) Atti dei fratelli arvali pag. 494.
(3) S. Damasi papae opuscula et gesta. Romae 1754. pag. 240.
(4) Tom. II. operum pag. 1061.

miles refert), Theodulfo aurelianensi episcopo tribuit, qui octavo saeculo vixit; quod inter alia Theodulfi carmina in codice, quo utebatur, illos perperam descriptos reperisset.

AD NVMERVM 126.

Fuimus in ea sententia aliquando, ut musivum hoc opus ad veterem basilicam pertinuisse opinaremur, quod rude eius artificium nobis maxime suadebat. Rem vero deinde accuratius perpendentes, omnia fere novae basilicae musiva, quae longe a spectatorum oculis prae magna parietum altitudine remota sunt, comperimus non adeo exquisite elaborata esse, ut si quis ad ea videnda proxime accesserit, ab hoc valde diversa illa deprehendat. Quare hoc etiam *caput*, quod nunc oculis proxime subiectum cum intueamur, rude nobis adparet, fieri potest, ut inter novae basilicae musiva ornamenta aliquando exstiterit, unde in cryptas fuerit postea translatum.

AD NVM. 128. *Append. tab.* XXX. *num.* I.

Edidit hoc epitaphium pag. 437. Turrigius, qui in veterum cryptarum pavimento sua aetate fuisse tradit, ubi integrum etiamnunc exstat. Silent de illo et Dionysius, et diligentissimus harum rerum pervestigator Cancellierius. Gens Aguccia non ultima certe nobilitate et antiquitate censetur inter inlustres bononiensis civitatis familias; nihil tamen de hoc Sebastiano reperire potuimus, neque in basilicae archivo, neque alibi, unde nobis innotesceret, quare tanti sit habitus, ut in vaticano templo sepeliretur.

AD NVMERVM 130. *Append. tab.* XXX. *num.* 2.

Exstat haec inscriptio apud Bosium (1), qui eam anno 1575. effossam fuisse testatur. „ Tavola di marmo cavata l'anno 1575. „ Idem et Alpharanus tradit, e cuius schedis Cancellierius haec refert, pag. 1751. num. LVI. „ *Fu trovata anco una tavola di marmo pur cavandosi in altri lochi qui per la fabrica, quale adesso è posta in detto pavimento nella nave di mezzo restaurato, con queste lettere* etc. „ Neque Turrigii diligentiam effugit, qui pag. 438. e cryptarum pavimento, ubi etiamnunc exstat, exscriptam vulgavit. Gruterus quoque e Buchellii schedis eam edidit, et Reinesius (2); nemo tamen hucusque mendis carentem repraesentavit.

Postrema eius verba HONORIO AVGVSTO VIII. ET THEODOSIO V. CCSS adeo distincte leguntur, addita etiam interpunctionis nota ante litteras CCSS, ut mirandum sit potuisse a quoquam aliter legi aut exscribi. Quintum Theodosii consulatum aperte marmor prae se fert; quem cum octavo Honorii augusti consulatu, non vero, uti par erat, cum nono coniungi ob quadratarii oscitantiam, cui litterula I. excidit, facile quisque videt. Ad annum proinde vulgaris aerae 412. lapidem spectare patet; in quo postremae litterae CCSS. ita sunt accipiendae, quasi vocis *consulibus* compendium sint. (3)

Columbas, sive singulas, sive plures, in veterum christianorum titulis passim occurrere adeo notum est, ut ea de re disserere hominis otio abutentis esse videatur.

Haec autem epigraphe in Dionysii opere, ignotum qua de caussa, desideratur: neque haec tantummodo, sed et alia fragmenta ab eo praetermissa fuerunt, quae numeris 122., 128., 138., 143., ac 146. notantur.

(1) Roma sotterranea edit. an. 1650. pag. 124.
(2) Grut. pag. MLVIII. num. 2. Reines. class. XX. num. CLVI.
(3) Christianus hic titulus in vaticana bibliotheca adservatus *octavum* Honorii consulatum cum *tertio* Theodosii coniunctum exhibet:

III NON . AVC DD NN . HONORIO VIII
EI (*sic*) TEODOSIO III AVCC CONSS
BENEMER . IN PAC . ITALICA . O . (*sic*) VIX .
AN . III

In marmorea tabula longa palmos III. cum triente, lata palmum cum quincunce.

AD NVMERVM 132. *Dionysius tab. XLVII.*

In opnseulo *de sacrosancto sudario*, schema exhibet Grimaldius, ex quo adparet, marmoreo quodam tholo striato superne sudarii ciborium fuisse contectum: qui tholus bifariam sectus, Benedicti XIII., et Christinae Svecorum reginae praecordia singulis seorsnm condita segmentis nnnc adservat. Fallitur ergo Dionysius, dum pag. 123. marmorea haec conditoria *duplicem crustam, seu geminum e calce tectorium* adpellat.

AD NVMERVM 133.

Heio loci rude et impolitum in pavimento saxum erat, in quo haec legebantur. „ *Calcinacci sagri.* „ Eo amnto deprehensum est subesse ipsi scrobem caementis oppletam, cuius altitudinem incompertam habemus, quod caementa ipsa suo loco minime movenda esse duximus, sed intacta, prout erant, relinquenda. Vndenam et quando in hanc scrobem ea caementa fuerint congesta, etsi diligenti investigatione perquisiverimns, invenire nobis non contigit; quod neqne ex brevi illo titulo, neque aliunde quidquam eruere aut expiscari potuerimus. Non longe tamen a vero abest, ut aliquis circa beati Petri confessionem paries ex caementis illis constiterit; quo ad exornandam confessionem ipsam diruto, ob loci sanctitatem rudera huc fuerint comportata, quemadmodum terram quoque prope sacrum illum locum erutam iu locis M., M., M. adservari superius animadvertimus. Vtcunque tandem sit, scrobem ipsam, quantum quaqua versus patet, marmoreo quadrato operculo occludi placuit, in quo haec verba insculpta sunt. „ *Caementa sacra.* „

AD NVMERVM 134. *Dionysius tab. L. num. I.*

Raymuodus Zacosta, magnus hierosolymitani ordinis magister, qui Romae sub Paulo II. supremum diem obiit, sepultus fuit in veteri basilica sub pavimento, inter primam ac secundam columnam navis illius australis, quae in Alpharani ichnographia littera D. denotatur. (1) Eius deinde ossa, dum vetus basilica novi aedificii caussa dirueretur, in vaticanas cryptas translata, et in extremo borealis earum navis angulo sita fuerunt, prope Bonifacii VIII. sarcophagum, quemadmodum videre est penes Dionysium in tabula cryptarum ichnographica num. 38. Qua vero de caussa nuper in medianam navim translata fuerint, atque heic conlocata, ex instrumento, quod subiicimus, patebit. (2)

(1) Ciampinius de sacris aedificiis a Constantino magno constructis, pag. 67.

(2) *REMOZIONE DI SEPOLCRO, E NVOVO COLLOCAMENTO DI ESSO, FATTA AD ISTANZA DI SVA ECCELLENZA RMA MONSIGNOR NICOLA PARACCIANI CLARELLI ECONOMO E SEGRETARIO GEN. DELLA SAC. CONGR. DELLA REV. FABBRICA DI S. PIETRO IN VATICANO.*

Nel nome di Dio. L'anno 1836., *il giorno di martedì* 15. *marzo, sotto il pontificato della Santità di N. S. papa* GREGORIO *XVI. anno VI. correndo l'indizione romana IX.*

Avendo S. E. R. Mons. Nicola Paracciani Clarelli, canonico della sagrosanta basilica vaticana e qual' economo, e segretario generale della sacra congregazione della rev. Fabbrica di san Pietro determinato di vedere, se il pavimento della porzione della basilica aggiunta da Paolo V. sia retto da costruzioni arcuate, come lo è quello sopra le così dette grotte vecchie; e conoscendo, che il luogo il più atto a farvi un' apertura è il fondo della navata settentrionale (ossia della terza navata delle suddette grotte, che è la destra rispetto a chi entra nella basilica) al quale è addossato il deposito di Fra Raimondo Zacosta maestro dell' ordine gerosolimitano; volendo però di tale atto di amozione, e nuovo collocamento del detto deposito la lodata E. S. R. fare pubblico rogito, ha pregato a tale effetto me notaio.

Quindi io Alessandro Cherubini notaro pubblico, e della sacra congregazione della rev. Fabbrica di san Pietro cancelliere generale, nel giorno di martedì 15. *del corrente marzo, con S. E. R. Mons. Paracciani Clarelli, assistito dai Signori canonico D. Giuseppe Settele professore di antichità sacre nel Seminario romano, e di ottica, ed astronomia nell' Archiginnasio romano, e dal dottore Emiliano Sarti professore di lingua greca, e di lingue orientali nel medesimo Archiginnasio romano, mi sono recato nella detta basilica vaticana, e disceso in compagnia dei suddetti nei già descritti sotterranei, al fondo della navata terza, ho veduto infissa al muro di essa una lapide di marmo bianco lunga palmi romani* 9., *oncie* 8., *larga palmi* 2., *oncie* 10., *grossa (come si vide dopo, che fu smurata) oncie* 3., *contenente la seguente iscrizione scolpita in carattere romano:*

AD NVMERVM 136. *Dionysius tab. XLVII. num. 2.*

Marmoreo hoc sarcophago Alexandri papae VI. cadaver olim conditum fuisse vulgo fertur, quod tamen facilius refellere, quam ullis argumentis confirmare quispiam potuerit. Ac primum quidem in id omnes consentiunt, ut pontificis illius cor-

D. O. M.
OSSA . ISTA . VNA . CVM . TVMVLO . VBI . OLIM . COMPOSITA . DIVQ . SERVATA . SVNT
VETVSTATE . PENE . CORROSO
ALOPHII . WIGNACOVRT . MAGNI . HIEROSOLYMITANI . ORDINIS . MAGISTRI . OBSECVTVS
IMPERIO . ET . PIETATI . SVAE
FR . FRANCISCVS . LOMELLINVS . SANCTI . SEPVLCHRI . COMMENDATARIVS
EIVSDEM . RELIGIONIS . APVD . SANCTAM . SEDEM
ORATOR
E VETERIS . TEMPLI . RVDERIBVS . IN . NOVAM
BASILICAM . INFERRI . ATQ . IN . PRISTINAM . FORMAM
REDIGI . CVRAVIT
ANNO . FVNDATAE . SALVTIS . M . D . C . X

La lodata Eccellenza Sua prima di devenire a tale amozione di sepolcro, ordinò, che la suddetta lapide fosse levata dal muro, il che alla presenza sua, e dei signori Settele, Sarti, e me notaio fu dai manuali sampietrini della medesima rev. Fabbrica, Giovanni Paraccini, Giuseppe Oslenghi, Mariano Pallini, Filippo Boccanera, Giovanni Turchi, e Carlo Barbetti diligentemente eseguito, con rimuoverla dal suo sito, e trasportatala posarla in terra.

Rinvenni sotto la detta lapide un' alzatura di muro fatta a forma di sepolcro, e addossata alla parete, che termina la predetta navata, e sopra la medesima una pietra sepolcrale lunga palmi romani 13., larga palmi 4., onc. 8., e grossa oncie 8.; in cui vedesi scolpita la figura giacente di Fra Raimondo Zacosta vestito dell' abito del suo ordine, che meglio riconobbi sì dall' arme scolpita, la quale è sostenuta sopra la testa della figura giacente da due piccoli genii, sì ancora dalle seguenti iscrizioni incise sopra di essa. Nel lungo della lapide la qui appresso FR. RAYMVNDVS ZACOSTE MAGNI ORDINIS HIEROSOLYMITANI MAGISTER ANNO M C IↃ LXVII. DIE XXI. FEBRVARII: a piedi della medesima la seguente

PETRO RAYMVNDO ZACOSTAE HISPANIA CITE
RIORE ORIVNDO HIEROSOLIMITANI HOSPITALIS MAGISTRO
QVI GENERALI CAPITVLO PAVLI II. IVSSV . ROMAE ABSOLVTO
LXIIII. AETATIS SVAE ANN. VITA FVNCTVS EST.
CONSILIO PIETATE ARMIS INCLITO
HOC MONVMENTVM RELIGIONIS DECRETO PATRI B. M.
POSITVM.

Inoltre il lodato Mons. Paracciani Clarelli ordinò ai già nominati manuali sampietrini, che rompessero la detta alzatura di muro fatta a guisa di sepolcro, ed indi togliessero, ed asportassero in altro luogo la lapide, di cui è stata già fatta descrizione; e difatti ciò compiuto, sotto la detta lapide, e precisamente nel mezzo, si trovò un vano; e dentro questo una cassetta di legno (ove custodivansi alcune ossa) di cui per la vetustà erano rimasti alcuni pezzi soltanto, dai quali potè giudicarsi essere essa stata lunga palmi 2. per ogni verso. Nel fondo poi di questa cassetta, e segnatamente sotto le ossa, si trovò una tavoletta di marmo bianco lunga palmo 1., oncie 9., larga palmo 1., oncie 3. e grossa oncia 1. con la seguente iscrizione scolpita in carattere romano: OSSA FRATIS (sic) RAMONDI ZACOSTAE MAGISTER (sic) OSPITALIS HIERVSALEM.

Le dette ossa, e tavoletta di marmo furono poste in altra cassa di legno lunga palmi 2., oncie 6., larga palmo 1., oncie 6., alta palmo 1., la quale da me notaio alla presenza dei più volte nominati Mons. Paracciani Clarelli, canonico Settele, dottor Sarti, e manuali sampietrini fu legata in croce con fettuccia di filo bianco, e vi apposi ed al mezzo, che ai lati il sigillo rappresentante l' arme gentilizia della casa Clarelli con il cappello, e fiocchi prelatizii, impronta del quale ho apposto in margine del presente atto.

Dopo tale operazione il nominato prelato ingiunse, che la detta cassetta, ove erano state poste le ossa, e la tavoletta di marmo già da me notaio, come di sopra ho narrato, legata con fettuccia e sigillata, venisse depasta in una buca già preparata a tale effetto nel pavimento della navata di mezzo, nel fondo di essa navata a piedi della parete, che la termina; la qual buca era larga palmi 2., oncie 6., lunga palmi 4., e profonda palmo 1., oncie 6.; il che immediatamente eseguito, sopra vi fu apposta la medesima lapide sepolcrale già designata, e fattala murare dai ridetti sampietrini si diè termine al presente atto. Sopra di che ec.

Atto fatto, letto, e pubblicato nei suddetti sotterranei alla continuata presenza di S. E. R. Mons. Paracciani de' marchesi Clarelli nella sua qualifica di Economo, e Segretario generale della sagra Congregazione sopra la rev. Fabbrica di san Pietro, e dei signori canonico Settele, e professor Sarti, i quali hanno firmato ogni foglio del presente istromento ec.

pus in vili ac lateritio tumulo iacuisse adfirment. Testatur hoc Alpharanus in manuscripto libro ad numerum 174., cum de sanctissimae Trinitatis sacello agens haec habet. „ *Intra hoc sacellum aliquando Alexandri VI. papae, et Henrici de Borgia cardinalis corpora* lateritiis in tumulis *iacuerunt, postea ad Callixti III. sacellum et tumulum translata fuerunt.* „ Neque aliter tradunt Onuphrius Panvinius et Ciaconius, quorum testimonia Cancellierius pag. 1277. ita refert. „ Panvinius in eiusdem *(Alexandri VI.)* vita hoc monumentum *vile* adpellat; atque alio loco tradit, *sepultum lateritio monumento in sacrario sancti Petri*, quod paullo ante dirutum est, *corpusque ibidem sub terra conditum* . . . . . alibi ita loquitur: *templum antiquum sanctae Mariae de febre . . habet altaria tria: ibi sepulti sunt Callixtus III. marmoreo sepulchro, Alexander VI. in terra.* Quae quidem Ciaconius confirmat, eiusdem corpus *in sacrario basilicae vaticanae lateritio et vili monumento sepultum fuisse* narrans. „

Quanam igitur ratione ad Alexandrum VI. pertinere hunc sarcophagum dixerimus, cum et marmoreus sit, et in operculo itidem marmoreo pontificis imaginem affabre exsculptam habeat? Fatemur sane exhiberi a Ciaconio schema quoddam monumenti Alexandri VI., quod neque *vile*, neque *lateritium* dici potest, in quo proinde hunc sarcophagum exstitisse verisimile foret; sed quomodo hoc cum apertis Panvinii, Alpharani, et Ciaconii ipsius verbis conciliari possit, plane non videmus.

Si quam Alexandri VI., vel exsculptam, vel depictam imaginem, *ipso* etiam tum *vivo* expressam, alicubi in urbe videre nobis contigisset, atque illam cum hac conferre, nullus dubitationi locus relictus esset. Quod cum frustra tentatum minime nobis successerit, certi quidquam hac in re statuere non possumus. Hoc tamen lectores monitos volumus, accurata sarcophagi inspectione nos deprehendisse, operculum, quo clauditur, minime ad illum pertinere, cum brevioris aliquanto mensurae sit; ideoque existimamus alterius cuiusvis pontificis potius imaginem in eo (puta Callisti III.) quam Alexandri VI. repraesentari.

AD NVMERVM 138. *Append. tab. XXXI. num. 3.*

Fragmentum istud pag. 439. valde oscitanter descriptum refert Turrigius, ex quo discimus in cryptarum pavimento tunc temporis exstitisse: neque multo accuratius habetur apud Cancellierium pag. 1751. num. LVII. inter fragmenta illa, quae Dionysii operi inserenda monuit, si quando typis iterum imprimendum esset. Videsis quae ad numerum 130. paulo ante diximus. Nos muro iampridem adfixum nacti, aere incisum exhibemus in tabula Appendicis huius XXXI. num. 3., atque ita titulum a marito *Valerio* uxori suae positum legendum et supplendum censemus:

. . . .
castissimaE . ET . IN . OMN*ibus*
. . . . . . ADMIRABILI . CO*niugi*
. . . . . . E . C . M . F . (1) VALERIVS
. . . . . . FECIT V. IDVS IVL*ias*
consule CLEARCO

Clearchus in oriente consul processit anno aerae christianae 384. Flavii Ricomeris occidentalis consulis conlega. Eius nomen non in nostro dumtaxat fragmento adspirationis nota caret, sed et in quadam musei capitolini epigraphe (2), atque in christiano titulo, quem ex Boldetto Muratorius refert pag. 390. num. 1.; ubi primam quoque syllabam quadratarius, graeci sermonis imperitus, vitiose cum diphthongo AE scripsit.

(1) Idest *clarissimae memoriae feminae.*
(2) Guasco, mus. capitol. antiq. inscr. tom. III. pag. 149. Mur. nov. thesaur. inscr. pag. 390. num. 2.

AD NVMERVM 141. *Append. tab. XXII. num. 2.*

... *coniugi inc*ONPARABILI ET SIBI
.... ORVS . *Vir* INL*ustris* . EX
.. *rector d*ECVRIAR*um* . FECIT .

In hunc fere modum suppleri posse inscriptionem istam coniicimus, quae in borealis navis pavimento, loco maxime conspicuo, hucusque exstitit a nemine, quantum sciamus, animadversa vel edita. De sepulcro, seu monumento, quod maritus quidam, *Isidorus* puta vel *Diodorus*, uxori suae et sibi fecerit, sermonem in lapide haberi non dubitamus. *Incomparabiles* passim vita functas uxores a viris vocari plurima ostendunt exempla penes Gruterum, atque alios veterum inscriptionum collectores obvia; quibus et hoc addendum ex lapide inedito, superioribus annis in vinea quadam extra urbem invento:

SALVIVS CEPPONIVS . VITALIS . P. IVLIAE VENERANDE ☧
CONIVGI . BENEMERENTI . ET . INCONPARABILI QVE VIXIT ☧
ANNIS XXXII . MENSSIBVS . V . DIEBVS . VII . CVM QVA IN DIE .
MORTIS SVAE QVE VIXIT CVM COIVGE SVA VITALE ANNIS
XI MESSIBVS . III PAX OMIBVS

In marmorea tabula longa palmos VIII. cum semisse, lata palmos II. cum sextante.

Decuriales, et Romae et in provinciis, notum est fuisse eos, qui acta omnia et monumenta, ac praecipue sententias iudicum, adoptiones, atque his similia, suae fidei commissa servabant. *Rectorem decuriarum*, sive potius *ex rectore decuriarum* agnoscimus in anonymo hoc viro, qui *inlustris* in marmore adpellatur. Quanto autem in honore *decuriarum rectura* habita fuerit ex Cassiodori epistola XXI., et XXII. libri V. colligitur, in quibus *Capuanus* decuriarum rector a Theoderico rege factus *viri spectabilis* titulo decoratur; officium vero ipsum *humanorum actuum verissimus testis*, *securitas possidentium*, *publicae fidei splendidissimum templum* dicitur. Qua de re videndus omnino est eruditissimus Iacobi Gothofredi commentarius in titulum primum *de decuriis urbis Romae*, codicis theodosiani libro XIV.

AD NVMERVM 142. *Append. tab. XXV. num. 2.*

In australi cryptarum navi III. kalendas novembres anni 1836. inventa fuerunt duo haec unius eiusdemque inscriptionis fragmenta in pavimento inversa, quae *Venantii* consulis nomen prae se ferunt: in secunda enim linea legendum ac supplendum est *consulatV* VENANTI.

Cum autem ter in fastis hoc nomen occurrat, primum quidem anno vulgaris aerae 484., quo Theodericus rex cum *Flavio Venantio Decio* fuit consul; iterum anno 507., quo imperator Fl. Anastasius *Venantium Decium* in occidente conlegam habuit; tertium tandem anno 508., quo consules processerunt *Basilius Decius*, ac Fl. Celer, postremos hosce in marmore consules memorari persuasum nobis est ex eo, quod *viri clarissimi* in ultima linea adpellentur; qui titulus, cum ambobus simul consulibus tribuatur, utrumque privatum fuisse hominem ostendit, ac proinde ad annum 508. dumtaxat inscriptionem referendam evincit. Fatemur sane notas illas VV. CC. (*viri clarissimi*) inveniri aliquando in inscriptionibus, quae imperatores privatorum in consulatu conlegas prae se ferunt: eum tamen, quoties id in antiquis lapidibus occurrit, quadratarii errore contigisse manifestum sit, liceat nobis ad annum superius indicatum vulgaris aerae nostrum hoc fragmentum referre.

AD NVM. 143. *Dion. tab. XL. num. 2. Append. tab. XXXII.*

Hadriani II. metricum epitaphium, quod in tabula marmorea sepulcro eius de more inscriptum fuisse non est dubitandum, neque in palatino codice exstat, neque

a Petro Mallio refertur : qood Papebrochium impulit, ut eum pontificem in vaticano minime sepultom opinaretur. Quoddam epitaphii huiusce fragmentum, foede undiqoe lacerum et indiligenter exscriptum, Turrigius pag. 440. ita edidit

. . . . Isl . . . . Caelo . . . . Placi-
dus . . . s largus d . . . . medius nullis . . .
egregius Rector . . . . sacri . . . .

statim deinde subdens ex coniectura „ *questo penso sia di qualche pontefice.* „ Idem fragmentum postea Cancellierius pag. 1750. num. LV. longe aoctius protulit, et ad Hadrianum I. referendum recte iudicavit, quamquam illud metrice esse scriptum ne suspicatos quidem fuerit. Primi omnium nos, aliquot abhinc annis, cryptarum monumenta curiosius considerantes deprehendimus fragmentum a Turrigio, et Cancellierio vulgatum elegiacis constare versibus, et coniungendum esse cum altero, quod ipse Torrigius pag. 332. in pavimento basilicae se invenisse narrat; (*) quodque post Turrigium Dionysius aere incisum in tab. XL. num. repraesentavit. Quod ubi a nobis animadversum fuit, facile epitaphium totum, coniunctis in unum fragmentis, restitoimus; id maxime prae oculis habentes, ut nostri supplementi verba ac sensus, quam minimum fieri posset, a reliquis eius aevi romanorum pontificum epitaphiis discederent. Nam cum iam inde a V. saeculo is mos obtionisset, ut summi pontifices in porticu basilicae humi sepelirentur, adiectis in marmorea tabula epitaphiis metrice scriptis; ac praeterea rarae, IX. potissimum ac X. saeculo, litterae essent: hinc fiebat, ut qui nova conderent epitaphia, superiorum plerumque epitaphiorum, quae in ipsa porticu prostabant, sententias iisdem fere verbis exprimerent. Hoc facile quivis per se agnoscet, si epitaphia singula pontificum in vaticana basilica sepultorum inter se comparet, quotquot a Petro Mallio, et ab anonymo auctore epigraphicae sylloges in palatino codice exstantis referuntur; quae nos ad calcem Appendicis huius ex vaticanae bibliothecae manuscriptis in unum collecta edimus.

Hadriani igitur I. epitaphium membris, quae antea disiecta et a se invicem avulsa erant, in unum veluti corpus iterum redactis, nostra nunc primum cura pristinae integritati (quantum licuit) restitutum huiuscemodi prodit:

*Quae mi*HI COMPOSVIT M*ortal*IS PONDERA CARNIS
    *Ha*DRIANVS P*rae* SVL. HIC SVA MATER *Habet.*
*In ci*NERES MERSIT *qu*ICQVID DE PVLVERE SV*mpsit*,
    *Atque a*NIMAM CAELO REDDIDIT OSSA*que humo.*
Prudens et PLACIDVS FVERAT SVPER AET*heris oras*,
    *Pauperibu*S LARGVS, DIVITIBVSQVE *pius*,
Omnibus et MEDIVS, NVLLIS NISI CARV*s habendus*,
    *Actibus eg*REGIVS, RECTVS V*t eloquio.* *
Compatiens LACRI*mis Aliorum corde benigno*,
    *Divini*S M*onitis nec fuit ille piger.*
*Pro qu*O IVR*e deum precibus votisque rogemus*,
    *V*T SIT CV*m sanctis caelica regna tenens.*
    QVI LEGIS HOS *versus compuncto dicito corde Cum Christo regnes o Hadriane deo.*

Quartum hexametrum ex coniectura hunc in modum olim supplebamus:

Supremis medius, nullis nisi carus amicus

sed com diligentius nuper de Hadriano I. ecclesiasticae historiae aoctores excutien-

(*) „ Vicino (*videlicet prope epitaphium uxoris Domitii, quod nunc numero 83. notatur*) vi è quest' altro frammento anco da me ivi (*in pavimento nempe*) trovato, e fatto affigere nel medesimo giorno (29. *iulii mensis anni* 1631.), et è antichissimo in lettere grandi:

. . . S Pondera carni.
. . . Sul hic sua mater h . . .
. . . ic quid de pulvere sumsit.
. . . Reddedit ossa . . . . super aethera.
. . . divitibusque . . . si carus . . .
. . . usu . . .

Nel muro vi è scritto *Vetustum fragmentum sepulchri viri christiani hic affixum* 1631. „ Le sacre grotte vaticane, part. II. pag. 332., 333.

tes, singula inquireremus, in Frodoardi librum de romanis pontificibus metrice scriptum incidimus, in quo integrum versum summa cum voluptate deprehendimus.

Totum autem Hadriani II. epitaphium adeo verbis ac sententiis convenit cum Augusti cuiusdam presbyteri elogio, quod Romae in sanctae Agnetis basilica olim fuit, ut alterum ab altero expressum pro certo habeamus. En ipsum, ut e Sirmondo (1) Muratorius edidit pag. 1834., num. 2. novi thesauri inscriptionum

HOC AVGVSTE QVIDEM TVMVLO TVA MEMBRA TEGVNTVR,
SED NVMQVAM MERITVM PARVVLA CLAVDIT HVMVS.
CORPVS HABET TELLVS, ANIMAM CAELESTIA REGNA:
SIC SEDES PROPRIAS SINGVLA RITE TENENT.
DEVOTVS DOMINO VIXISTI CORDE FIDELI
PRESBYTERI OFFICIVM SVB PIETATE GERENS.
LARGVS PAVPERIBVS, DIVES TIBI, CARVS AMICIS
DIVINA (2) LEGIS IVSSA VERENDA COLENS.
ET FELIX TANTO LAVDVM CVMVLATVS HONORE
PERPETVIS MERITO IAM FRVITVRE BONIS.

Si quis vero postulet, quibus maxime argumentis adducti bina haec fragmenta, nunc primum a nobis in unum iuncta, ad Hadrianum papam, eumque *secundum*, potius quam ad alium quemlibet, sive ad reliquos huius nominis pontifices referenda esse pronunciemus, huic nos facillime id persuasuros putamus, si animum ad ea, quae dicturi sumus, adverterit. Ac primum quidem summa verborum et sententiarum congruentia cum ceteris pontificum in vaticanae basilicae porticu iacentium elogiis; nomen praeterea *praesulis*, quod nonnisi romanorum pontificum proprium, priscis maxime christianorum saeculis fuit, (3) ad Hadrianum aliquem papam epitaphium pertinere omnino suadent. Cum autem Hadriani papae I. epitaphium esse non possit, quod integrum adhuc exstat in basilicae porticu parieti adfixum; Hadriano vero III., et V. tribui nequeat, quippe qui extra urbem Romam obierint, ac sepulti fuerint, hic Viterbii, ille Nonantulae; hoc unum restat, ut vel ad Hadrianum II., vel ad IV., qui anno 1159. obiit, ait referendum. Verum Hadriani IV. sarcophagus e syenite lapide, brevi dumtaxat hoc titulo inscriptus HADRIANVS PAPA IIII. exstat adhuc in boreali cryptarum navi sub numero 156. Ad secundum ergo Hadrianum epitaphium pertinere necessario sequitur. Quod cum ex dictis perspicuum satis atque evidens sit, clarius tamen efficitur ex iis, quae Flavaldus, sive (ut ab aliis vocatur) Frodoardus de Hadriano II. metrice conscripsit. Fuit hic ecclesiae remensis canonicus, et ordinis sancti Benedicti monachus, vir, uti tradit Trithemius, (4) *in scripturis divinis eruditus, et in saecularibus litteris magnifice peritus, ingenio subtilis, et disertus eloquio*: obiit autem V. kalendas apriles anno 966. (5), adeoque paucorum ab Hadriani II. aetate annorum inter-

(1) Sirmondus ad Sidonium lib. VII. epist. 17. Reinesius class. XX. num. XXXIII.

(2) Legendum omnino, ut Muratorius quoque notat, DIVINAE.

(3) Patet hoc ex epitaphiis Caelestini I., Anastasii II., Bonifacii II., Ioannis II., Honorii I., Sergii II., Benedicti III., Nicolai I., Ioannis VIII., Stephani V., et Benedicti IV., quae partim penes Petrum Mallium, partim in vaticano laudato codice occurrunt. Adeo proprium autem romani pontificis hoc nomen fuit, ut non alio saepius, quam hoc, passim designetur, apud primos praesertim ecclesiae scriptores, et in Conciliorum actis. *Universalis ecclesiae praesulem* Alcimus Avitus viennensis archiepiscopus vocat Symmachum papam in epistola XXVII., quam Sigismundi regis nomine ad eum scribit. (S. Aviti archiep. vienn. opera edente Sirmondo, Parisiis 1643.) Eumdem Symmachum Ennodius ticinensis episcopus *apostolicae sedis praesulem* adpellat. (S. Ennodii opera edente Sirmondo, opusc. VII., praecepto de cellulanis.) In romano autem II. concilio, quod anno vulgaris aerae 324. sub Silvestro papa I. habitum fuit, *summi praesulis* nomine romanus pontifex decoratur, cum actione I. cap. III. sancitur, ne *praesul summus* a quoquam iudicetur. (Conciliorum tom. I. pag. 1584.)

(4) De viris illustribus ordinis s. Benedicti, lib. 2. cap. 68.

(5) Mabillonii annales ordinis s. Benedicti lib. XLVII.

vallo distat, quem anno 872. vita functum omnes norunt. Is, praeter ecclesiae remensis historiam, et Nortmaonorum chronicon, libros etiam XIV. heroico versu scripsit, quibus summorum pontificum vitas complexus est a beato Petro ad Leonem VII. Horum librorum fragmentum a Gregorio II. ad Leonem usque VII. Mabillonius primum vulgavit in opere, cui titulus *Acta sanctorum ordinis sancti Benedicti in saeculorum classes distributa*, *parte II. saeculi III.*, *pag.* 569. *et seqq.*

Finem operi suo fecit Frodoardus in Leone VII. anno 936., a quo, cum Romam nonnulla impetraturus venisset, blandissime se exceptum, ac voti compotem factum narrat, eiusque laudes his versibus persequitur

Septimus exsurgit Leo, nec tamen ista volutans,
Nec curans, apicis mundi nec celsa requirens:
Sola dei quae sunt alacri sub pectore volvens,
Culminaque evitans, oblata subire renutans:
Raptus at erigitur, dignusque nitore probatur
Regminis eximii, Petrique in sede locatur.
Sed minime odsuetam linquit decoramine curam
Deditus assiduis precibus, speculamine celsus,
Affatu laetus, sapiens atque ore serenus.
Qui me visentem aetherei pia limina Petri
Iocunde excipiens, animo quaesita benigno
Admisit, favitque pie, studuitque modeste,
Famina grata serens, epulis recreavit utrisque
Corporis atque animae, benedixit, et oscula libans.
Ac geminans dono cumulatum muneris almi
Pergere laetantem amplexu dimisit honoro.
Quem pater omnipotens alacrem, cultuque venustum
Attollat, servetque diu, digno excolat actu,
Et cum praesulibus *sanctis, consortia quorum*
Promeruit sedis, praestet super aethera sedem;
Cum quibus aeternum maneat praeclarus in aevum.

Is igitur, cum de Hadriano II. agit, haec habet:

Hinc sacra succedunt Hadriani iura secundi,
Qui pius ac placidus *laudatur et ordine clarus,*
Pauperibus largus, *locupletibus atque benignus,*
Omnibus et medius, nullis nisi carus habendus:
Compatiens passis, patientes improba servans,
Passorumque ferens caussa: longinqua pererrat
Scriptis regna, monens rigidos, reparans quoque fractos,
Iustitiaeque viam iusto moderamine pandens etc.

In quibus nemo sane non videt Frodoardum data opera praecipuas pontificis laudes, quas in eius epitaphio Romae praesens legerat, posteritati tradere in suis carminibus voluisse. Quomodo autem fieri unquam potuisset, ut ipse Hadriani II. elogium condens easdem omnino sententias, iisdem verbis, recitasset, quae in marmore nostro leguntur, nisi hoc Hadriani II. ipsissimum epitaphium esset?

AD NVMERVM 144. *Append. tab. XXV. num.* 1.

. . . . VSTILA SPectabilis Femina . . . .
. . . . aLBINO Viro Clarissimo CONsule . . .
. . . . TAM SS DOM . . . .
. . . . VIT .
. . . . an$\overline{\text{N}}$. $\overline{\text{PL}}$ $\overline{\text{M}}$ XLVIII . DIES XX

Prodiit hoc fragmentum e pavimento australis cryptarum navis , ubi inversum hucusque iacuerat. Matronae cuiuspiam epitaphium in eo haberi palam est ex mutilo nomine VSTILA (*Mustela* fortasse , vel *Faustilla*), quod in prima linea occurrit. Hanc vero non e vulgo mulierem fuisse vel inde patet , quod honestissimo *spectabilis feminae* titulo decoretur; id enim notae illae $\overline{\text{SP}}$. $\overline{\text{F}}$. sibi volunt. Inter christianas inscriptiones a Muratorio vulgatas *Mustelam* quamdam *spectabilem feminam* sistit nobis huiusmodi lapis anni post Christum natum 543. (1) Romae olim in sancti Pancratii templo existens , quem e schedis vallicellanae bibliothecae descriptum Blanchinius cum Muratorio communicavit

HIC QVIESCIT IN PACE
MVSTELA SP . F . QVAE VIXIT
ANN $\overline{\text{PLM}}$ L . D$\overline{\text{EP}}$. SVB D
IIII . ID N$\overline{\text{OV}}$ $\overline{\text{II}}$. $\overline{\text{PC}}$. BASILII IVN

Cum autem Albini nomen in fastis quater post aerae vulgaris initium occurrat , annis videlicet 335. , 345. , 444. , et 493. , cuinam ex istis nostra haec epigraphe adsignanda sit, diiudicari non potest , quod in ea nequaquam Albini conlega nominetur.

Verba PLVS MINVS , quae solitis litterarum compendiis PL . M . in postrema linea leguntur, aliquis fortasse perperam adposita existimet , cum non annorum modo , sed et dierum numerus , quos haec matrona vixit , adscribatur. Verum pleonasmi huius exempla non pauca , in christianis praesertim epigraphis , inveniri notum est , ex quibus hoc unum ex Marangonii actis sancti Victorini pag. 132. adtulisse sufficiat

LOVINA VICSIT (*sic*) ANI
S (*sic*) PLVS M . XI ET M
SEPTE

AD NVMERVM 145. *Append. tab. XXXIII.*

Tabula haec marmorea , longa palmos quinque cum semisse , lata palmos circiter quinque , crassa vero uncias tres , in pavimento cryptarum Constantii sarcophago (2) , qui eam ex parte obtegebat , supposita hucusque exstitit , multorum quidem pedibus proculcata , a nemine tamen animadversa , nedum lecta. Nullum enim de ipsa neque apud Grimaldium , neque apud Alpharanum , neque apud Turrigium invenies verbum ; quod non parum saepe mirati sumus , cum et litterarum (quamquam pedum attritu evanescentium) *elegantia*, et verborum *sensu*, et vel ipsa sui *mole* curiosos ista scrutantium oculos in se convertere debuisset. Cum in pavimento adhuc esset , iteratis vicibus attente illam inspicientes , voces , quae adparebant , e singularum litterarum vestigiis expiscati , ita olim legeramus

(1) Mur. thes. inscr. pag. 2003. num. 8.
(2) Vide in Tabula ichnographica num. 9.

. . . ET ANASTASIA . . . . .
. . . BASILICAE APOS . . . . .
. . . ITEM COELV . . . . .
. . . MASVS VIR SAN . . . . .
. . . Y PROPRIO MA . . . . .
. . . DECORARV . . . . .

Nuper vero, postquam inde amota fuit, extrema etiam eius verba, quae latebant, legere licuit; quare integram inscriptionem hunc in modum ex coniectura restituendam putamus

Longinianus vir clarissimus praefectus urbi ET ANASTASIA *Clarissima Femina* EIVS
coniux pavimentum BASILICAE APOSTOLI PETRI
et parietes ITEM COELVM
*fontis quem olim Da*MASVS VIR SANCTVS IN
*ea exstruxit sumpt*V PROPRIO MARMORV*m*
splendore DECORARVNT

Cuius nostri supplementi, ut perspicue lectoribus ratio constet, haec potissimum sunt animadvertenda.

Ac primum quidem ipsa tabulae *magnitudo*, quae dimidia nunc superest, quantum ex insculptis verbis licet coniicere, ac litterarum praesertim *elegantia*, et peculiaris quaedam *forma*, quae a Damasi aevo non multum distat (ut facile quisque fatebitur, qui Damasi carmina passim in urbis ecclesiis, et in hoc ipso vaticano hypogeo prostantia (1) vel semel inspexerit), omnia haec satis profecto arguunt, inscriptionem *publice* propositam insignis alicuius operis indicem exstitisse, quod circa *Damasi* maxime *aetatem* factum fuerit. Cum vero Damasi ipsius nomen in quarto versu occurrat, (mutilam enim vocem MASVS ita complendam nemo negaverit), isque ibidem *vir sanctus* adpelletur, nullus dubitationi locus relinquitur, quominus exaratam epigraphen aliquot post Damasi obitum annis certo teneamus. Verba praeterea secundi versus BASILICAE APOSTOLI PETRI, aperte innuunt, opus illud (qualecunque tandem id fuerit) cuius gratia inscriptio fuit posita, in vaticana basilica fuisse factum. Quae autem postremis in lineis verba leguntur, MARMORVM scilicet, ac DECORARVNT, clarius huiusce operis naturam produnt, *marmorum* nempe tantummodo ornatum seu *fornici*, sive *parietibus*, aut *pavimento* additum. Tandem, cum in inscriptione, quae citra omnem controversiam de operibus in basilica beati Petri exornatis loquitur, Damasi pontificis iam demortui mentio fiat, non absurdum profecto videbitur, si Damasi nomen idcirco adscriptum putemus, quod eorum operum unum aliquod saltem Damasum auctorem habuerit. Constat vero ex Damasi carminibus, quae in cryptis etiamnunc leguntur (2), Damasum magnis operibus, conrivatis aquis, quae ex proximo manantes monte in subiectum basilicae solum meabant, fontem in usum baptismatis, vel in ipsamet basilica, vel, ut aliis placet, prope eam exstruxisse. Non igitur a vero aberrabimus, si inscriptionem nostram de *fontibus*, sive de *fonte* (utroque enim modo vaticanum baptisterium adpellari consuevit) a Damaso exstructo, ac post eius obitum exornato loqui existimemus. Quare damasiani fontis *parietes* perinde ac COELVM, (cameram videlicet, sive tholum) MARMORVM *splendore* decoratum fuisse inscriptio ex nostra sententia docebat; quae nisi valde fallimur, illud quoque praeterea in secundo versu monebat, *pavimentum* nempe BASILICAE APOSTOLI PETRI marmoribus variis eodem tempore fuisse stratum. Si enim vox MARMORVM, quae postremo loco occurrit, ad singula opera, de quibus inscriptio agit, referenda sit, prout quivis facile concedet, cum nullis marmoribus basilicae tectum decorari

(1) Vide Dion. tab. XXVII. num. 1.
(2) Vid. Dionysii tab. XXVII. num. 1.

potuisse per se satis pateat, non videmus certe quo pacto marmora basilicae in ornatum addi potuerint, nisi in pavimento praecipue id praestitum fuerit. Parietes profecto singularum navium, qui columnis superstructi erant, nonnisi picturis vel musivo opere tum in vaticana, tum in aliis basilicis ornari consuevisse adeo notum est, ut otio abuti videamur, si exemplis id confirmemus. De *pavimento* igitur basilicae variis operose marmoribus strato, nec non de *parietibus*, ac de *coelo* damasiani fontis *decorato*, mentionem in inscriptione factam veri simillimum nobis videtur; neque ii valde repugnabunt, qui adlata superius argumenta sedulo perpenderint. Fatemur sane aliquod aliud opus, praeter pavimentum, in veteri basilica e marmore potuisse fieri, *platoniam* puta, vel *absidem*, aut *confessionem*, sed in tanta rei obscuritate, quod magis obvium coniectantibus se se obtulit, ac vero propius videtur, id arripuimus; non tamen ita mordicus illud tenere parati, ut si qua probabilior ab aliquo coniectura adferatur, nostram prae illa respuere nolimus. Huc accedit, quod elegantissimae pavimenti veteris parvae illae reliquiae, nostra primum cura delineatae atque editae, (*) si artificium spectes, mire consonant cum huius marmoris aetate, quae extremis quarti saeculi annis, vel quinti certe primis circumscribitur. Neque minus belle cum supplemento a nobis excogitato concordant, quae Prudentius, eiusdem aevi scriptor, de vaticanae basilicae fonte, sive baptisterio, habet, hymno XII. libri περὶ στεφάνων, in passionem apostolorum Petri et Pauli:

Dextra Petrum regio tectis tenet aureis receptum
Canens oliva, et murmurans fluento.
Namque supercilio saxi liquor ortus excitavit
Fontem perennem chrismatis feracem.
Nunc preciosa ruit per marmora lubricatque clivum,
Donec virenti fluctuet colymbo.
Interior tumuli pars est, ubi lapsibus sonoris
Stagnum nivali volvitur profundo.
Omnicolor vitreas pictura superne tingit undas;
Musci relucent, et virescit aurum.
Cyaneusque latex umbram trahit imminentis ostri,
Credas moveri fluctibus lacunar.
Pastor oves alit ipse illic gelidi rigore fontis,
Videt sitire quas fluenta Christi.

Quibus in versibus adeo graphice fontis coelum, et parietes musivo opere ac variis marmoribus convestitos et ornatos describit, ut mirum plane sit poetae mentem neminem hucusque adsecutum fuisse eorum, qui scripta illius commentariis inlustrarunt.

Superest ut doceamus, quare Anastasiae matronae socium in opere faciundo adiungamus, eumque *Longinianum* potius, quam quemlibet alium putemus ex iis, qui Damasi aetate vixerint. At vero quicunque ad extremum inscriptionis verbum DECORAAVNT animum adverterit, nec non ad postremam primi versus vocem XIVS, is profecto fatebitur, non unum operis auctorem innui, sed duos; et Anastasiae vel patrem, vel maritum, vel fratrem denique in deperdita marmoris parte fuisse nominatum. Maritum tamen Anastasiae fuisse illum, cuius nomen intercidit, non obscure ostendit *clarissimae feminae* titulus, quo ipsa decoratur; qui matronarum tantummodo, non autem puellarum proprius erat. Quamobrem autem *Lon-*

(*) Vide Tabul. huius Appendicis X., num. 1, 2, 3.

ginianum praecipue operis in lapide memorati auctorem com Anastasia agnoscamus, io caussa est vulgatissimum palatini codicis huiusmodi epigramma, cui titulus „ *Ad fontes* „ praefigitur (1).

QVI PECCATORVM SORDES ABOLERE PRIORVM,
TERRENISQVE OPTAS MACVLIS ABSOLVERE VITAM,
HVC ADES AD CHRISTI FONTEM SACRVMQVE LIQVOREM,
CORPVS VBI AC MENTES PARITER SENSVSQVE LAVANTVR,.
AETERNVMQVE DATVR CASTO BAPTISMATE MVNVS.
HANC AVTEM FIDEI SEDEM CONSTRVXIT AB IMO
MILITIAE CLARVS TITVLIS AVLAEQVE FIDELIS,
ROMANAEQVE VRBIS PRAEFECTVS LONGINIANVS..

Cave tamen, ne carmiois huios auctoritate permotus Longioianum putes vaticaoi baptisterii *conditorem*, cum eius tantummodo *exornator* sit habendus: Damasum eoim pontificem aquam primum conrivasse, et fontem exstruxisse adeo certum et exploratum est, ut eum, qui Lnnginiani laudes epigrammate celebravit, rem poetico more auxisse omnino credendum sit, dum *ab imo* fontem a Longiniano *constructum* cecinit. (2) Atque heic opportuoe lectorem munitum volumus, oullam Corsinio fidem habendam, qui carmen illud de baptismali fonte in ecclesia sanctae Aoastasiae in Palatioo colle sita loqui putat. (3) Titulos coim., *Ad fontes*, qui epigrammati praefigitur, nihil prorsus tale innoit: et quamquam epigramma praecedeos (quod pagina MCLXIV. num 6. a Grutero refertur) in saoctae Aoastasiae templo fuisse ex praefixo ipsi lemmate doceamur, noo tamen hinc oecessario sequitur, alterum etiam epigramma ibidem exstitisse; tum quod io ea carminum sylloge cooficieoda raro ordinem ab auctore, vel ab exscriptore, servatum videamus.; tum quod vox *ibidem* semper io codice adscribatur iis epigrammatis, quae io eodem urbis loco exstare auctor sylloges illius deprehenderat.

Lungioianus autem iste, qui anno 403. urbaoa praefectura fuoctus, aooo deiode 408., praefectus praetorio Italiae cum esset, a militibus interfectus fuit (4), idem ille est, ad quem nonnullae Symmachi exstant epistolae (5), et cuius maxime cura romanae urbis moenia instaurata fueront, Arcadio et Hooorio imperaotibus, cum annu 403. adventantium Gotthorum rumor ac terror invaluisset. Cuius rei luculeotum adhuc exstat testimonium in sequeoti inscriptione supra eam urbis portam insculpta, quae sessorianae basilicae proxima claudiae aquae arcuato operi subest.

(1) Cod. vat. palat. 833. fol. 31. Gruter. pag. MCLXIV. num. 7.

(2) Damasum operis totius aucturem non modu carmina iu hemicycli cryptarum pariete adhuc exstantia, et numero 47. notata testantur (vide Dionysii tabulam XXVII., num. 1.), sed et palatini codicis alterum hoc epigramma a Grutero pag. MCLXIII. num. 10. editum, in quo baptisterii vaticani mentionem fieri Barouius quoque upinatur

NON HAEC HVMANIS OPIBVS NON ARTE MAGISTRA
SED PRAESTANTE PETRO CVI TRADITA IANVA CAELI EST
ANTISTES CHRISTI COMPOSVIT DAMASVS
VNA PETRI SEDES VNVM VERVMQVE LAVACRVM
VINCVLA NVLLA TENEAT. (*sic in cod. pro* TENENT) ACATHIVS VOTVM SOLVIT.

(3) En totum ex eius opere *de praefectis urbis* locum, prout legitur pag. 315. „ *Marmor aliud ad baptismalem fontem in ecclesia sanctae Anastasiae habetur, in quo id ipsum perspicue diserteque expressum conspicitur.*

HANC AVTEM FIDEI SEDEM CONSTRVXIT AB IMO
MILITIAE CLARVS TITVLIS AVLAEQVE FIDELIS
ROMANAEQVE VRBIS PRAEFECTVS LONGINIANVS.

(4) Vide Zosimum lib. v. 32.

(5) Symmach. epist. lib. VII.

S P Q R

IMPP CAESS D̄D̄ N̄N̄ INVICTISSIMIS PRINCIPIB ARCADIO ET HONORIO VICTORIB AC TRIVMFATORIB SEMP AV̄ḠḠ
OB INSTAVRATOS VRBI AETERNAE MVROS PORTAS AC TVRRES EGESTIS INMENSIS RVDERIB EX SVGGESTIONE V̄C̄
ET INLVSTRIS COM̄ ET M̄ĀḠ VTRIVSQ MILITIAE STILICHONIS AD PERPETVITATEM NOMINIS EORVM
SIMVLACRA CONSTITVIT
CVRANTE FL MACROBIO LONGINIANO V̄ C̄ PRAEF VRB D̄ N̄ M̄ Q̄ EORVM

Longiniani huiusce et Anastasiae filium fuisse suspicamur *Gallum* illum, qui studiosam parentum pietatem aemulatus paradisum basilicae apostoli Petri decoravit, quemadmodum ex hoc epigrammate innotescit, quod ex eodem palatino codice iampridem Gruterus edidit (1)

„ *Ibidem* „ nempe in paradiso basilicae beati Petri.

GALLVS ANASTASIAE NATVS DECVS ADDIDIT AVLAE,
QVOD PROSIT MERITIS ILLIVS ATQVE SVIS.
MVNVS VT (2) GRATE SVMAT DIVINA POTESTAS
EFFICIET PETRVS REGIA CLAVSTRA TENENS.

Neque silentio heic praeterire volumus turpem Muratorii errorem, quem neque Corsinius, neque post eum Marinius, nedum Dionysius noster vidit. Plurimas e Suaresii schedis inscriptiones secum communicatas Muratorius in suo thesauro vulgavit, e quibus una ea est, quam pag. 1904. num. 2. ita edidit

„ *Romae apud portam portuensem. E Suaresio.* „

HIC EST LONGINIANVS QVI FON
TES BAPTISMATIS CONSTRVXIT
SANCTI PAPAE DAMASI VERSIBVS
NOBILITATOS.

Verum non animadvertit summus ille vir verba, quae in Suaresii schedis offenderat, nihil minus quam veterem epigraphen esse, ac notulam dumtaxat in iis contineri, quam Suaresius ad portae portuensis inscriptionem, suo adhuc aevo exstantem, (3) adscripserat, ut scilicet moneret, Flavium Macrobium Longinianum, cuius in postremo inscriptionis versu nomen legebatur, eumdem esse ac eum, qui vaticanum fontem Damasi carminibus nobilem construxisset.

Quod si quis a nobis quaerat, utrum de Anastasia compertum aliquid habeamus, ingenue fatebimur plane nos ignorare qua ex familia, quibusve parentibus fuerit orta. Nisi cui forte placebit ad *Herennios Gallos* eius genus referre, prout suadere videtur *Galli* eius filii nomen in adlato superius epigrammate memorati: sollemne enim, iis maxime temporibus, fuisse, ut a materna gente maribus plerumque nomen imponeretur, res est pervulgata.

AD NVMERVM 146. *Append. tab. XIV. num.* 3.

. . . . *FeliCE* . *Viro Clarissimo* . CONsule . *Sub Die* . III . IDus . OCTobres . *DePosita* . IN PACE
. . . . ALBINA . *Clarissima Puella.*

Hunc in modum supplendam ac legendam putamus inscriptionem istam, quam anno 1610. in fundamentis novae basilicae repertam Bosius testatur, (4) et ad annum aerae christianae 428. referendam censet, quo Flavius Taurus in oriente, *Flavius* vero *Felix* in occidente consules processerunt. Litteras enim CE, quae initio primae lineae supersunt, postremam syllabam nominis FELICE esse autumat, in quo ab eo non discessit Aringhius, qui lapidem eidem anno adscribendum putat. (5) Qualecunque tamen de marmoris aetate iudicium ferendum sit (nam et ad annum 511. non male referri posset, qui Secundinum in oriente, *Felicem Gallum* in occidente consulem habuit), illud certe in Bosio culpandum, quod minus re-

(1) Pag. MCLXIV. num. 3.
(2) Exscriptoris procul dubio oscitantia deest in codice vox HOC.
(3) Hanc, praecedenti omnino similem, vide apud Gruterum pag. CLXV. num. 1.
(4) Roma sotterranea edit. an. 1650. pag. 125.
(5) Roma subterranea lib. II., cap. X., pag. 337.

cte epigraphen exscripserit. In ea enim Albina *clarissimae puellae*, C. P., non vero *clarissimae feminae*, C. F., (uti Bosius habet) titulo insignitur; quae duo quantum inter se differant nemo non novit. Neque minori nota dignus Aringhius, qui erroneam Bosii lectionem C. F. ridicula interpretatione *(consulis Felicis nomine)* cumulavit.

Hanc autem inscriptionem, quam neque Dionysius, neque Cancellierius retulit, Turrigius pag. 134. testatur aetate sua in pavimento cryptarum exstitisse ante imaginem beatae Virginis a Memmio depictam. Eam nos muro iampridem adfixam invenimus, et in aes nunc primum incisam vulgamus.

AD NVMERVM 148. *Dionysius tab. LXVIII.*

In ea civitatis leonianae parte, quae *regio*, seu *vicus sancti Angeli* vocatur (*) quaedam exstat adhuc domus, olim certe non ignobilis, nunc vero longo temporis tractu, atque incultu ipso squalens, quae sinistrorsum euntibus ad divi Petri basilicam sita occurrit, et numeris 122., ac 123. notatur. Fuit haec nobilissimae novariensis familiae domus, quae a *porta*, quam stemma eius prae se fert, nomen sortita est. *Ardicinum a porta* cardinalem cognomento *seniorem*, qui anno 1434. obiit, in ea habitasse testatur Turrigius pag. 425. „ *Ardicino primo della Porta, il cui palazzo con sue armi dipinte si vede hora in borgo s. Angelo.* „ In huius domus fronte, etsi temporis iniuria fere evanidum, agnosci tamen adhuc potest depictum gentis ipsius, et Innocentii VIII. stemma, quo domum ipsam insignitam fuisse in clientelae argumentum veri simile est ab Ardicino *iuniore*, quem Innocentius VIII. cardinalium conlegio adscripsit.

AD NVM. 149., 149.

Romanos marmorea pondera vulgo adhibuisse, quae sphaerae utrinque truncatae figuram prae se ferrent, res vulgo notissima est: prostant enim et Romae et alibi plura ex variis marmorum generibus huiuscemodi pondera, pleramque centenaria, quorum in *nonnullis* incisae sunt notae, quae librarum numerum indicant. Haec vero et in excruciandis martyribus adhibita aliquando fuisse nemo ignorat, quam ob caussam christiani una cum reliquis martyrii instrumentis ea diligenter servarunt, quemadmodum passim in multis urbis ecclesiis licet videre. Quare fallitur in hoc Baronius, cum in suis ad martyrologium notis ad diem 16. septembris haec habet. „ *Miratus sum cuiusdam sententiam, qui putaret globos illos lapideos non ad inferenda cruciamenta, sed ad pensanda onera fuisse compositos, nesciens quod, quae erant huiusmodi, habebant inscriptam notam numeri, ut tradunt Isidorus libro XVI. Originum, et Alciatus de ponderibus cap. 1., et alii.* „ Quae Baronii opinio tantum a rei veritate abest, ut apud Isidorum (cuius maxime testimonio niti videtur) ne verbum quidem unum reperiatur de *numeri nota* ponderibus inscripta.

(*) Adpellatur vulgo *Borgo s. Angelo*: a multis enim retro saeculis ea invaluit consuetudo, ut leoninae civitatis vici barbarico vocabulo *burgi* a romanis vocentur, quemadmodum *Borgo santo Spirito, Borgo vecchio, Borgo nuovo.* Hoc inde procul dubio factum est, quod magna peregrinorum multitudo, quae beati Petri sepulcrum veneratura Romam adsidue confluebat, distinctis in locis, pro gentium diversitate, seorsum prope vaticanam basilicam sedem fixerit, et patrio vocabulo *burgi* nomen suo quaeque gens vico indiderit. *Anglorum burgum* iam inde a Paschalis I. tempore Anastasius in eius pontificis vita sect. 432. ita commemorat. „ *Eodem tempore, diabolica operante versutia, per quorumdam gentis anglorum desidiam ita est omnis illorum habitatio, quae in eorum lingua* burgus *dicitur, flamma ignis exundante combusta, ut etiam nec vestigia pristinae habitationis in eodem loco inveniri potuissent. Cuius exuberantia incendio pene totam porticum, quae duxit ad basilicam principis apostolorum, ignis fomes devastavit.* „

AD LITTER. D., D.

Stylobata ex albano lapide, qui heic loci in imo pariete supra pavimentum exstat, ad aedificium a Bramante circa sacram confessionem exstructum pertinuit, de quo videsis quae ad litteras k., k. superius pagina 42. adnotavimus.

AD LITTERAM O. *Dionysius tab. LXVII. num.* 1., 2., 3.

Duo angelorum simulacra marmorea, quae ad altaris latera sunt, aere incisa Dionysius exhibet in tabula LXVII., subdens incompertum sibi esse „ *quem locum olim in basilica veteri occupaverint, et cuinam usui fuerint.* „ Hoc tamen facile ex Turrigio discere poterat, qui pagina 284. tradit exstitisse ea „ *all' altare del santissimo Sacramento nella basilica antica* „ quemadmodum Cancellierius quoque animadvertit pag. 1317.

AD NVMERVM 150.

Statua haec quatuor palmos alta Paulum apostolum repraesentat, neque ubinam olim fuerit invenire potuimus. Exstitit procul dubio alicubi in veteri basilica, et fortasse una cum similibus aliorum apostolorum statuis monumenti alicuius ornatui inserviit, prout passim saeculo XIV., ac XV. factum videmus. In vaticanas cryptas, ut diligentius adservaretur, translata nuper fuit; cum eo in loco, ubi ferramenta, ac reliqua omnia in templi usus necessaria custodiuntur, in magna marmorum congerie neglecta, ac pene ignorata delitesceret.

AD NVMERVM 151.

Cum anaglyphum istud concava in superficie sit insculptum, veri simile est, in alicuius sacelli abside, sive in aliquo cuiuspiam tholi triangulo exstitisse. Ceterum nihil de eo exploratum habemus, nisi dumtaxat huc e veteri basilica esse adlatum.

AD NVMERVM 152.

Cum Leoni XII. monumentum ponendum esset, Innocentii XIII. cadaver, quod lateritio sepulcro conditum hucusque in basilica iacuerat, in cryptas delatum est, atque heic sub pavimento depositum VI. eidus iulias anni 1836. Ad cuius pedes, dum terra altius pro exstruendo pariete egereretur, inventum est vetus quoddam sepulcrum simile illis, quae in tabula ichnographica, in sacello beatae Mariae a febribus, post numerum 9. unico asterisco notantur.

AD NVMERVM 153. *Append. tab. XXVI. num.* 5.

Ioannem Guidettum bononiensem vaticanae basilicae clericum beneficiatum, et Gregorii XIII. capellanum, in veteri sacrario sepultum fuisse ex his necrologii verbis colligitur. „ *Il reverendo M. Giovanni Guidetti fu sepolto alla Madonna della febbre, presso la ferrata, a mano dritta, li 2. decembre* 1592. „ Sacellum, in quo fuit inhumatus, nomen deinde ab eo accepit, Turrigio teste pag. 33. „ *Hor l'imagine, di che parliamo* (ea scilicet beatae Virginis imago, quam Dionysius tabula VI. exhibet) *fu posta vicino a quella delle febbri, in una cappelletta detta di* Giovanni Guidetti, *perchè ivi era sepolto.* „ Si Cancellierio fides habenda, sepul-

cralis hic titulus, quem ipse pag. 748. refert, exstabat sua aetate parieti adfixus in aede sanctorum Michaelis et Magni, quo e veteri sacrario translatus fuerat; etsi Gallettius (1) humi ibidem exstitisse tradat. In vaticanas cryptas quando delatus fuerit nos latet; quod certe non improbando consilio factum concedet, quicunque noverit edita a Guidetto de cantu ecclesiastico opera, in quibus maxime eminet *Directorium chori ad usum* basilicae vaticanae, *et omnium ecclesiarum, tam cathedralium, quam collegiatarum* saepius Romae typis recusum.

AD NVMERVM 154. *Append. tab. XXIII. num. 2.*

Sabinianum, qui magno Gregorio in pontificatu successit, in vaticanae basilicae porticu, pro temporis illius more, sepultum fuisse constat. Obiit autem anno post consulatum Focae imperatoris tertio, cum septemdecim menses, ac dies novem sedisset. In australis navis pavimento fragmentum hoc existebat, quod ex optima characterum forma, gregoriani epitaphii litteris quam simillima, in aliis nonnullis sexti exeuntis saeculi monumentis obvia, nec non ex mutila voce NIAN, et ex FOCAE subiecto nomine, coniicimus ad Sabiniani papae epitaphium pertinere: quae nostra coniectura quanti facienda sit, harum rerum peritis diiudicandum relinquimus. Sabiniani certe deperditum epitaphium, si quis restituere vellet, non male hunc in modum id praestaret

*Sedit beatae memoriae Sabi*NIAN*us papa annum I., menses V., dies VIIII.*
Obiit VIII. kal. mart. post consulatum FOCAE A*ug. III.*

Quidquid tandem sit, illud profecto animadversione dignum videtur, quod minimum hoc marmoris fragmentum unum sit ex tribus romanis lapidibus, qui Focae imperatoris nomen prae se ferunt. Nam ut fragmentum omittamus a Bosio quondam via tiburtina in quodam coemeterio repertum, (2) quod utrum amplius exstet ignoramus; Focae imperatoris nomen marmorea tabula servat, quae beati Gregorii magni epistolam *Felici* subdiacono, et rectori patrimonii Appiae continet in extramurana divi Pauli basilica. (3) Princeps vero locus dandus est procul dubio inscriptioni, quam in basi eius columnae insculptam hodieque legimus, quae in medio romano foro a Smaragdo Italiae exarcho posita inauratam augusti illius statuam olim sustinuit.

AD NVMERVM 157. *Dionysius tab. XLVIII. num. 1., et tab. L. num. 2.*

In Alpharani tabula ichnographica Pii III. sepulcrum numero 81. designatur. Sarcophagum hunc, in quo illius pontificis cadaver conditum fuit, quamdiu in cryptis vaticanis remansit, Turrigius pag. 369. testatur inventum fuisse anno 1606. palmos triginta quinque sub terra defossum, dum sacelli pro novo Choro exstruendi fundamenta iacerentur. Sarcophagus ipse marmorea tabula, quasi operculo, clauditur, quam vivens adhuc Pius III., dum cardinalis esset, sepulcro suo imponendam sibi paraverat. Eam in tabula L. num. 2. Dionysius aere incisam exhibet; sarcophagum vero tabula XLVIII. num. 1. Superne in pariete parva e marmore tabella adfixa est, quam in pavimento cryptarum inversam invenimus. Hanc tabellam cum Pii III.

(1) Inscript. romanae infimi aevi tom. I. class. V. pag. 445.
(2) Ita huiusmodi fragmentum a Bosio (Roma sotterranea, edit. an. 1632. pag. 403.) refertur

. . . . OCAE III COS

. . . . CARI AMICI

(3) Vide Margarinium pag. XVIII. num. 243.

nomen litteris grandiusculis inscriptum prae se ferat, patet pontificis sepulcro fuisse olim superpositam, cuiusmodi et aliae supersunt adhuc tabellae e sepulcris Gregorii v., Bonifacii viii., Hadriani iv., ac Iulii iii.

Porro Pii ii., ac iii. cadavera, una cum integris eorum monumentis, e vaticana basilica in templum sancti Andreae de valle a se aedificatum transtulit Alexander Perettus cardinalis Montaltus anno 1610., atque ibidem in monumentis iisdem, loco maxime conspicuo, sibi invicem ex adverso oppositis, anno 1614. pontificis utriusque corpus recondendum curavit, subiectis duabus, quae rem docerent, inscriptionibus.

AD NVMERVM 159. *Dionysius tab. XLIX. num. 1.*

Bosius (1) tradit, Sarcophagum hunc anno 1607. in veteris basilicae fundamentis repertum fuisse subdit vero statim ignorare se quidnam de eo postea sit actum. Bosium sequutus Aringhius tom. 1. pag. 298. eadem prorsus habet in haec verba. „ *ubinam modo exstet, ignoratur.* „ Vtriusque oscitantiam mirari satis non possumus, cum aperte Grimaldius (2) testetur Pii ii. corpus in hoc sarcophago conditum fuisse anno 1608. Quam in rem haec habet Bottarius tom. 1. pag. 93. „ L' Aringhio testifica di non sapere più dove fosse, ma ella è collocata nell' interno delle grotte vaticane, e *lungo tempo* stette in essa il corpo del gran pontefice Pio ii. „ Quamquam et ipse parum accurate rem indicet, quippe qui *multum temporis* Pii ii. corpus in hoc sarcophago iacuisse dicat, quod triennio dumtaxat in eo permansit, donec scilicet in ecclesiam divi Andreae de valle anno 1610. translatum fuit.

AD NVMERVM 160. *Dionysius tab. XLIX. num. 2.*

Male apud Dionysium in tabula XLIX. num. 2. verba haec BONIFACIVS PAPA VIII ✝ in fronte sarcophagi sunt inscripta, cum in marmorea tabella legantur, quae parieti adfixa supra sarcophagum exstat. Quod vero pontificis effigies in sarcophagi operculo insculpta, capite ad sinistram intuentium obverso, in Dionysii tabula repraesentetur, id minime vel artifici, vel Dionysio ipsi vitio dandum est, cum reapse ita sarcophagi operculum prave olim per incuriam superpositum fuisset, quando primum anno 1605. Bonifacii viii. sepulcrum apertum fuit. (3) In suum apte locum nuper operculum restitutum est, quemadmodum penes Grimaldium fol. 29., et in tabula xx. littera D. a Ciampinio exhibetur. Hoc ut fieret, sepulcrum iterum apertum fuit die 21. mensis septembris anni 1835., uti ex instrumento, quod heic subiicimus, patet. (4) Annulum autem, qui frustra quaesitus neque repertus dicitur,

(1) Roma sotterranea, edit. an. 1632. pag. 67.

(2) Vide Dionysium pag. 127.

(3) Apertionis eius instrumentum a Grimaldio confectum habes apud Dionysium pag. 128., et seqq.

(4) *RICOGNIZIONE DEL SEPOLCRO DI PAPA BONIFACIO VIII. FATTA AD ISTANZA DI SVA ECCELLENZA R.MA MONS. D. NICOLA PARACCIANI CLARELLI ECONOMO, E SEGRETARIO GENERALE DELLA S. CONGREGAZIONE DELLA REV. FABBRICA DI S. PIETRO.*

Nel nome di Dio. L' anno 1835., il giorno di lunedì 21. settembre, sotto il pontificato della santità di N. S. papa Gregorio XVI., l' anno V. del suo pontificato, correndo l' indizione romana VIII.

A richiesta di S. E. R. Mons. D. Nicola Paracciani Clarelli canonico della sagrosanta basilica vaticana, e quale Economo, e Segretario generale della sagra Congregazione della rev. Fabbrica di s. Pietro, io Alessandro Cherubini notaro pubblico, e della sagra Congregazione della rev. Fabbrica di s. Pietro cancelliere generale, mi sono personalmente recato nella basilica vaticana nel giorno 21. del corrente settembre alle ore 15½ in circa, ed ivi in compagnia della lodata E. S. R., e dei sig. canonico D. Giuseppe Settele professore di antichità sagre nel seminario romano, e di ottica, ed astronomia nell' Archiginnasio romano, dottore Emiliano Sarti professore di lingua greca, e di lingue orientali nel medesimo Archiginnasio romano, Filippo Puccinelli computista della suddetta rev. Fabbrica di s. Pietro, e Giuseppe Chiari fattore generale della medesima, sono sceso nei sotterranei di detta basilica, appellati comunemente grotte vaticane vecchie, e precisamente nella navata terza, cioè in quella, che è destra rispetto a chi entra nella

scias pontificis digito fuisse detractum, cum primum anno 1605. sepulcrum apertum fuit. Cuius rei testem habemus Turrigium, qui pag. 372. haec tradit. „ L' anello ,

basilica, e quivi nella estremità di essa verso la porta della basilica nel lato sinistro tra i diversi depositi, che vi sono, ho veduto una granda urna di marmo lunga palmi architettonici 10., ed oncie 3½, alta palmi 3., ed oncie 10. posata immediatamente sul pavimento, e addossata, e murata alla parete; la quale urna era superiormente chiusa da un gran coperchio di marmo grosso palmo 1., sul quale in alto rilievo si vedeva scolpita la figura giacente di un pontefice vestito degli abiti pontificali con tiara pontificia in capo, che riconobbi essere l' urna, che racchiude il cadavere di Bonifacio VIII. papa della famiglia Caetani dalla seguente iscrizione BONIFACIVS PAPA VIII. ✠ in caratteri antichi scolpita in di una tavoletta marmorea lunga palmi 2., oncie 3., alta palmo 1. ed oncie 7. murata in alto sulla parete, a cui l' urna predetta è addossata.

D' ordine quindi del sullodato mons. Paracciani Clarelli, e coll' opera dei signori Giovanni Battista Tronchet soprastante dei sampietrini, Giovanni Cesari, Benedetto Angelelli, Giuseppe Tronchet, Giuseppe Costa, e Giuseppe Aldanesi manuali sampietrini ivi appositamente trovatisi, ed alla presenza anche dei summentovati fu rimosso il pesante coperchio di marmo, che chiudeva superiormente l'urna; il che fatto vi fu luogo all' accurata ispezione di ciò, che in essa esiste, come può rilevarsi da quello, che qui sotto dettagliatamente si descrive.

Dentro della medesima urna si rinvennero dei calcinacci con alcuni pezzi di tavole tarlate, e guaste dall'umidità, il che tutto tolto via per ordine del suddetto prelato apparve una cassa di piombo, nel di cui coperchio eravi a rilievo un' arma gentilizia denotante lo stemma della famiglia del pontefice con triregno, e chiavi; sotto della medesima una croce parimenti di rilievo lunga palmo 1., ed oncie 10., larga oncie 9., e sotto questa croce nel campo di uno scudo, largo palmo 1., ed oncie 5., alto palmo 1., ed oncie 2. eravi la seguente iscrizione a piccole lettere incavate distinta in dodici linee, come qui fedelmente riporto colla stessa ortografia

IHS

CORPVS . BONIFACII . VIII . CAETANI
PONT . MAX . EX . VETERI . IN . NOVAM
BASILICAM . TRANSLATVM . HIC
REPOSITVM . IACET . DE . QVO . ILLVD
MEMORABILE . ACCIDIT . QVOD . EODEM
DIE . QVO OBIIT . QVINTO . SCILICET
IDVS . OCTOBRIS . IAM AB . INDE
TRECENTVM . ET . DVOBVS . ELAPSIS
ANNIS . INTEGRVM . ATQVE
INCORRVPTVM . REPERTVM . FVIT
ANNO . DOMINI . MDCV

Sollevato che fu il detto coperchio di piombo coll' opera dei suddetti manuali, ed estratto dall' urna, e posto in terra si vide, che dentro la cassa di piombo vi era un' altra cassa di legno, che i periti presenti riconobbero unanimemente essere di abeto; ed ordinatosi dal prefato Mons. Paracciani Clarelli, che venisse ancor questa aperta, fu tolto il coperchio di essa composto di due tavole per lungo, che si levarono senza ostacolo alcuno, perchè si rinvennero non inchiodate; sopra le dette due tavole poi tanto nell' estremità, quanto lungo la linea della loro commessura esistevano dei sigilli in gran parte consunti, ma ciò non ostante si riconobbe, che erano altrettante impronte del sigillo del card. Evangelista Pallotta arciprete della basilica, il quale sigillo contiene l' arma gentilizia della famiglia Pallotta, e sopra il tutto lo stemma di Sisto V., da cui il Pallotta fu creato cardinale.

Entro di questa seconda cassa di legno di abeto, la quale misurata nel suo vano interno si trovò essere lunga palmi 8., ed oncie 6., larga palmi 2., ed oncie 2., e grossa oncia 1. si rinvenne lo scheletro giacente del suddetto pontefice rivestito degl' indumenti sagri pontificali, i quali per essere in parte logori, e malmenati dalla corruzione accaduta del cadavere; non si vollero toccare, ed dettagliatamente osservare per farne alcuna descrizione. Fra i medesimi però ben si ravvisarono li guanti, che ricoprirono le mani del pontefice, dei quali non potè precisarsi il colore, ma si vide, che avevano le manopole tutte recamate in arabeschi con più file di piccolissime perle: uno di essi guanti, e precisamente quello della mano destra, contenente ancora parte delle ossa delle dita, si trovò lontano dal suo luogo naturale, e gettato trascuratamente sopra le tibie del giacente cadavere.

Osservato quindi attentamente lo scheletro giacente nella cassa si riconobbe, che era nella medesima positura, in cui anticamente vi fu collocata, restando tutto involto, e ricoperto degli abiti pontificali, meno che le ossa delle gambe, e dei piedi, che erano tutte scomposte, e si videro i due sandali terminati in punta, il destro de' quali misurato si trovò essere lungo un palmo, e 3. oncie. Fatte inoltre delle altre diligenze tanto dal nominato Mons. Segretario, ed Economo, quanto dai signori professori Settele, e Sarti, sem-

26

che haveva in deto, hora si conserva nella sagrestia di s. Pietro, come io ho visto, e nell' inventario si legge: *anello uno d' oro, con un zaffiro buono, levato dal corpo di papa Bonifatio ottavo*, di valore circa 30. scudi. „

AD NVMERVM 161. *Dion. tab. LI. num. 2.*

Marmorea tabula, quae in pavimento, ante Bonifacii VIII. sarcophagum, Benedicti cardinalis Caietani sepulcrum operit, praeter cardinalis ipsius epitaphium a Dionysio tab. LI. editum, aliam quoque in ima sui parte continet inscriptionem huiuscemodi

TRANSLATVS . E . SACELLO . S . BONIFACII . IIII . IN
BASILICAE . VETERIS . DEMOLITIONE . ET . HIC
AD . PEDES . SANCTISSIMI . PATRVI . DEPOS
XIIII . KAL . SEXTILIS . ANNO
MDCVI

Haec autem inscriptio superstructo Raymundi Zacostae monumento ita hactenus operiebatur, ut legi omnino non posset, donec illo nuper amoto integra tandem detecta est. Edidit quidem eam Torrigius pag. 377., sed in hoc fallitur, quod eam diverso in marmore insculptam scribit, („ *è in un' altra lapide* „) cum in una eademque tabula, in qua epitaphium, et ipsa contineatur.

Incerti haeremus utrum ad hunc Bonifacii VIII. nepotem referendum sit, quod in diario romano anni 1411. ab Antonio Petri vaticanae basilicae beneficiato narratur (*) „ *Item die veneris* 30. *dicti mensis* (iannarii scilicet) *de mane fuerunt martyrizati Petrus Simeotii, et Ioannes Mandutii in capitulo ante sacristiam maiorem sancti Petri, propter caussam sepulturae, quam franxerunt, nepotis domini Bonifacii papae VIII.* „

AD NVMERVM 162. *Append. tab. XXXIV. num. 2.*

Gentilitium Eugenii papae IV. stemma, quod e navis australis pavimento sublatum muro heic nuper adfixum fuit, in altari beatae Mariae virginis a pontifice illo exstructo exstitisse putamus; de quo vide quae supra ad numerum 70. pag. 38. adnotantur. Marmor autem ipsum, in quo stemma insculptum est, erat olim sarcophagi cuiusdam frons, quemadmodum deprehensum est, cum loco suo fuit amotum; aversa enim eius facies, spiralibus tota striis cavata, fores in medio semiadapertas exhibet, quale sculpturae genus et argumentum in plerisque ethnicorum sarcophagis occurrit.

pre alla presenza di me notaro, e cancelliere, e degli altri ivi presenti, null' altro di particolare si rinvenne, se non che quanto superiormente si è descritto; nè comparve alcun anello, come si credeva devervisi trovare a tenore dell'istromento rogato dal Grimaldi notaro nella romana curia in occasione della solenne apertura dell' urna del suddetto cadavere fatta nell' anno 1605.; ma non essendosi voluto toccare in verun modo nè lo scheletro, nè i sagri indumenti, si credette che l' anello mentovato dal Grimaldi possa essere fra le pieghe, ed i laceri avanzi delle vesti pontificali, che lo ricoprono. Laonde il lodato Mons. Paracciani Clarelli sempre nella sua qualifica, ordinò che venisse il tutto rimesso nel primiero stato, come immediatamente in mia presenza, e degli altri astanti si eseguì, incominciandosi dal coperchio della cassa di legno, che fu riposto nell'antico suo luogo a chiudere la cassa, inchiodandone le due tavole, che lo compongono, con numero 12. chiodi: il che fatto si venne a collocare l'altro coperchio della cassa di piombo, che fu bene, e con gran diligenza alla medesima adattato, e quindi riposti scrupolosamente al loro luogo gli avanzi del coperchio della terza cassa di legno tarlata, finalmente fu ricoperta, e murata l'urna con il medesimo coperchio di pietra superiormente indicato. Sopra di che ec.

Atto fatto, letto, e pubblicato nel suindicato luogo alla presenza di S. E. R. Mons. Paracciani Clarelli Segretario, ed Economo, e dei sign. professori Settele, e Sarti ec.

(*) Murat. scriptores rerum italicarum tom. XXIV. pag. 1023.

AD ASTERISCOS * * *Append. tab. II. num. I. litter.* M.

Cum Petri Raymundi Zacostae sepulcrum loco suo motum fuit (qua de re videsis quae supra ad numerum 134. adnotamus) porta haec adparuit, cuius inferum limen e marmore est, superum vero, et postes ex tiburtino lapide. Ostii huius nullum prorsus vestigium exstat in cryptarum tabulis ichnographicis, quotquot hucusque in lucem prodierunt: meminit eius tamen Turrigius obiter, et subobscure pag. 378., ubi, postquam de Benedicti cardinalis Caietani sepulcro verba fecit, haec subdit. „ *Qui appresso, dove già era l'altra entrata sotto queste grotte al tempo di Clemente VIII., vedesi il sepolcro di Pietro Raimondo Zagaste etc.* „ Supersunt adhuc ferrei cardines, quibus valvae ostii suspendebantur; ipsum vero ostium obstructo extrinsecus muro clausum olim fuit, quemadmodum deprehenditur ex ipsarum valvarum figura, quae recenti parietis tectorio impressa etiamnunc durat. Cum autem Michaelaogelus Bonarota eam basilicae novae formam delineasset, ut in longum huc usque porrigeretur, patet hoc ostium (cui aliud forsitan simile in australi navi post Gregorii V. sepulcrum (*) exstitit) ideo heic factum, ut in cryptas basilicae aditum ex porticus exterioris hypogeo praeberet.

Muri, quo ostium obstruitur, aliquantulum dirutum fuit; quo facto basilicae pavimentum, illo etiam tractu, quo Paulus V. eam ampliavit, fornicibus substructis austineri patuit, sed aggesta temere humo ac caementis hypogeum illic oppleri. Optandum sane est, ut aditu hoc iterum patefacto, exhausta humo atque caementis, vaticanum hypogeum omne recludatur, quod utinam nobis aliquando videre contingat!

AD NVMER. 163., 163., 163. *Append. tab. XIII. num.* 2., 3., 4.

De Bonifacii VIII. sacello verba superius fecimus ad numerum 25. pag. 24. Tria haec fragmenta, quae pavimentu sternendo hucusque inservierunt, ad sacelli illius ciborium pertinuisse pro certo habemus; cum eorum quidem unum Caietanae gentis stemma insculptum prae se ferens de hoc dubitare non sinat; reliqua vero duo, eiusdem plane cum eo operis et artificii, ita proxime accedant ad ornamenta ciborii, quae in Grimaldii codice fol. 28., et in Ciampinii schemate (tab. XX. litt. B.) delineata sunt, ut primo statim adspectu eadem prorsus esse pateat.

AD NVMERVM 164. *Append. tab. XXXIV. num.* I.

Vnde et quando in vaticanum hypogeum concesserit hoc epistylium frustra hactenus pervestigavimus. Si locum, ubi olim exstitit, scire nobis datum foisset, non difficile quoque foret invenire cuinam usui inservierit: verum omni prorsus huinsmodi ope destituti nihil, nisi divinaodo, adsequi possumus. Antequam autem nostram hac de re sententiam indicemus, necesse est in medium proferre locum quemdam ex postumo Bartholomaei Farinae bergomatis opere, cui titulus *Bergamo, sua origine, notabili avvenimenti, e guerre in ristretto, raccolte da gravi autori, historie*, e *registri di essa città*. Is pagina 33. haec habet. „ *In questi tempi successo all'imperio Ludovica il bavaro cominciorno a pullular in Bergamo ancora le seditioni civili di guelfi, e gibellini originate per le dissentioni di esso Ludovico, quale non volse riconoscer la Chiesa con Giovanni XXII. bergamasco di famiglia Ossa; le quali crescendo ogni giorno più, seguì divisione fra cittadini, adherendo con tal diabolica passione chi ad una parte, et chi all' altra, di maniera che ingrossate le*

(*) Vide Tabulam ichnographicam num. 108.

fattioni, prendendo da qui fomento gl' intestini rancori, si attaccò una fierissima guerra civile, uccidendosi senza pietà, incendiandosi anche le case, et le terre intiere: et uscita la fattion guelfa dalla città, e fortificatasi in Martinengo, grosso castello del bergamasco, si chiamò parte estrinseca; *et li gibellini* parte intrinseca: *venute poi in aiuto d' ambe dette fattioni l' istesse fattioni della città di Milano, specialmente Matteo Visconte, chiamato da gibellini, tutto il bergamasco avvampava di fiamme e fuoco. Pochi erano li cittadini, quali vivessero quieti nella neutralità, et havessero cura della repubblica, et questi in segno havevano sopra la porta delle loro case la parola* IHS, *come pure in alcune hoggi si vede.* „ Similiter pag. 37., cum de peste illa loquitur, quae ab anno 1361. integro biennio per totam fere Italiam grassata est, haec subdit. „ *Ciò ha lasciato scritto con l' altre cose seguite in quei tempi tra le fattioni civili, Giovan Brembate nobilissimo cittadino* neutrale *nelle guerre fra cittadini, et perciò anco di presente si vede* intagliato sopra la porta della casa, *antica habitatione di quella famiglia*, il nome di Giesù. „

Quare non multum a vero aberrasse videbimur, si dicamus epistylium istud superpositum olim, patrio more, fuisse ianuae domus Augustini Casarrii bergomatis civis, cuius maiores, gliscente gibellinos inter et guelfos civili bello, neutris adhaerentes, Iesu nominis monogramma in signum pacis suis aedibus inscripsissent. Quis vero fuerit Augustinus iste Casarrius, et utrum ullas Romae unquam aedes habuerit, quave in regione, id plane incompertum nobis esse fatemur. Bergomatem eam gentem fuisse, tum e nostro lapide discimus, tum ex Calvio (1), qui Simeonem Casarium inter illos recenset, quorum maxime opera et labore, saeculo XIV. exeunte, intestina factionum odia et civiles discordiae componi coeperunt. (2)

Alexandri martyris, et Vincentii imagines agnoscimus in duobus illis capitibus, quae hinc inde in marmore sunt insculpta, quos peculiares Bergomi patronos coli notum est. Nam qui Petri ac Pauli apostolorum capita repraesentari in iis putant, nae illi valde nugari, aut potius desipere sano homini videbuntur.

Neque repugnabimus si quis contendat, pertinuisse hoc epistylium ad aliquod opus, quod in veteri basilica Augustinus Casarrius faciundum curaverit, in quo non modo suum nomen inscribi, sed et patriae urbis patronos insculpi voluerit, adiecto Iesu nominis monogrammate, proprii quasi et gentilitii stemmatis loco, quippe quo in civilibus discordiis eius maiores olim se tutati essent.

AD NVMERVM 165. *Dion. tab.* LII. *num.* 1.

Ex iis, quae mox ad numerum 167. dicentur, patebit, hoc epistylium nequaquam in Iacobi Caietani monumento exstare potuisse, cum viri illius nullum unquam exstiterit monumentum, verum sub pavimento basilicae ante sancti Bonifacii sacellum fuisse ipsum sepultum constet.

AD NVMERVM 166. *Dion. tab.* LII. *num.* 2.

Petri cardinalis Hispani sepulcrum in sacello beati Bonifacii martyris fuisse ex Alpharani verbis ad numerum 25. pag. 24. superius adlatis constat. Huius vero cardinalis mentio ter in basilicae martyrologio occurrit; primum quidem pridie nonas februarias, iterum VIII. kalendas augustas, tertio tandem XII. kalendas ianuarias in haec verba. „ *Isto die debet fieri anniversarium pro anima sanctae memoriae domini Petri Yspani episcopi sabinensis, in quo expendatur tertia pars omnium fructuum medii casalis, quod dicitur* Aqua traversa. „

(1) Campidoglio dei guerrieri, et altri illustri personaggi di Bergamo. Milano 1668. pag. 359.

(2) Antonii Casarii, incertum an bergomatis civis, epistolas duas Paulus Manutius edidit in tomo tertio sylloges, cui titulus *Lettere volgari di diversi nobilissimi huomini, et eccellentissimi ingegni scritte in diverse materie.*

AD NVMERVM 167.

Iacobi Caietani sepulcrum ubi olim exstiterit Alpharanus docet, cuius verba superius ad numerum 25. adtulimus. Eius vero epitaphium Turrigius pagina 379. retulit plenius, quam nunc legi possit; quia non modo Caietanae gentis stemma, sed et ipsae litterae adeo sunt in marmore detritae, ut non ita facile possint dignosci. En ipsam, prout nunc legitur in marmorea tabula palmos undique circiter quatuor lata, inscriptionem

D . O . M
IA . KAIETANO . DOCTRINAE . ET . VI
RTVTVM . MERITIS . APLICO . PROTHON
OTARIO . QVVOM (sic) DE . EO . MAIORA . SPE
RARENTVR . MORS . IMPORTVNA
immATVRVM . ABSTVLIT . AETATIS
aNN . AGEN . L . MEN . VI . DIES . XV

Neque parum miramur Dionysium, qui pagina 137. hoc epitaphium ex Turrigio refert, marmor ipsum, etsi ob oculos positum, numquam vidisse: ait enim de illo „ *aut intercidit, aut latet alicubi.* „

AD NVM. 168. *Dion. tab. LIII. Append. tab. XXXV. num. 1., 2.*

Supra Nicolai v. sarcophagum parieti adfigendum cursvimus quoddam seu zophori, sive epistylii fragmentum, quod in hemicycli pavimento inversum repertum est. Ad Niculai v. monumentum pertinuisse hoc maxime argumento evincitur, quod monumenti illius schemata, quaecunque adhuc supersunt, quatuor huiuscemodi angelos in eo exstitisse demunstrant; quorum duo superne in zophoro pontificalem tiaram, et claves protensis hinc inde manibus sustinent, alii vero duo infra illus siti gentilitium pontificis eiusdem stemma gestare videntur. Cum unicum istud fragmentum ex tanti pontificis monumento superstes invenire nobis contigerit, neque ipso operis artificio spernendum sit, aere incisum exhibemus in huius Appendicis tabula XXXV. num. 2., adposito etiam eiusdem monumenti schemate, quod ex grimaldiano codice expressum est.

AD NVMERVM 169. *Dionysius tab. LIV.*

Pauli papae II. monumentum in grimaldiano codice delineatum quidem exstat folio 23., sed modulo adeo brevi, ut singula eius ornamenta nullo pacto inde dignosci possint; prout quivis facile deprehendet, si grimaldianum schema a Ciampinio editum in tabula XVII., littera F. inspexerit. Monumentum ipsum maiuri modulo delineatum Ciaconius exhibet tom. II. pag. 1093.; in quo, praeter evangelistarum statuas, et Fidei, Spei, et Caritatis simulacra, iste quoque sarcophagus adparet; cui et anaglypha quatuor adiiciuntur, in quorum uno Deus ex Adami costa feminam fingens repraesentatur, in altero Adami ipsius peccatum, in tertio Christus resurgens, in quarto autem universale iudicium. Quae omnia ornamenta, eleganti operis artificio elaborata, supersunt adhuc in cryptis, ac numeris 208., 209., 212., 213., 215., 216., 217., 218., 219. notantur, duobus tantum evangelistis, Matthaeo scilicet, et Marco exceptis.

AD NVMERVM 170. *Append. tab. xxxvi. num.* 2.

Fragmentum istud, quod sacelli vel cihorii alicuius fastigium videtur, in pavimento inversum iacebat. Insculptum in eo est gentilitium stemma Petri Serrae hispani, quem antipapa Benedictus xiii. cardinalem renunciavit. Hic pestilentiae morbo supremum diem anno 1405. Genuae obiit, quo una cum Benedicto antipapa venerat, qui gravissimo catholicae ecclesiae schismati finem tandem se imponere velle dictitabat. Mirandum porro est cardinalis huius, de quo vide Ciaconium tom. 2. pag. 739., in vaticana praesertim basilica istud qualecunque monumentum inventum esse, cum neque illum Romam adiisse temporis eius historia doceat, neque praeterea verisimile sit legitimi cardinalis loco in urbe habitum unquam fuisse.

AD LITTERAM P. *Append. tab. xxxv. num.* 3.

Cuniculi huius ichnographia nunc primum aere incisa prodit ad calcem ichnographicae tabulae cryptarum num. II. adiecta. Eum vero a Clemente viii. factum Benedictus Dreius (1), atque alii tradunt, ut occulte per illum e palatio ad sacram confessionem beati Petri, quotiescunque libuisset, summi pontifices possent accedere. Cessit deinde in cellae oleariae usum, cum aditus, qua parte vaticanis aedibus iungitur, obstructo muro interclusus fuisset; in eoque oleum basilicae luminaribus necessarium fictilibus in doliis, quae quinque et septuaginta numero adhuc ibidem supersunt, servari consuevit, donec novo a fundamentis exstructo basilicae sacrario, alius cellae oleariae locus fuit adsignatus.

In primo statim aditu, dextra ac sinistra, parieti adfixa sunt fragmenta nonnulla christianarum inscriptionum, in pavimento nuper reperta, ex quibus, quod nimis mutila et manca sint, nihil omnino elici potest: ne tamen perirent heic ea conlocari placuit, hac maxime de caussa, quod probabile valde sit, reliquas harum inscriptionum partes latere adhuc in illo pavimenti veteris basilicae tractu, qui ab ostio nunc occluso M. (vide Appendicis tab. II. num. 1.) usque ad novi templi portas pertingit.

Vnum ex iis fragmentis, quod graecae inscriptionis laceras exhibet reliquias, et in tabula huius Appendicis xxxv. num. 3. in aes incisum editur, peculiari dignum est animadversione; unica enim haec, inter tot latinas, graeca epigraphe e pavimento prodiit, quae utinam vel integra, vel minus saltem detruncata superesset: innotesceret enim, utrum ad Mariam constantinopolitanam matronam pertineat, de qua haec habet Alpharanus in libro manuscripto ad numerum 70. „ *In pavimento sub lapide magno marmoreo corpus Carolae Cypri, et Hierusalem reginae Sixto iv. in urbe peregrinationis gratia vita functae honorifice conditum fuit, et non longe a dicta regina fuit etiam sepulta Maria constantinopolitana nobilissima, quae pari modo peregrinationis caussa in urbe venerat, cum epitaphio litteris graecis marmori insculpto, quae adhuc exstant monumenta.* „ Eadem fere habet Ciampinius pag. 69., cum de Carolae Cypri reginae sepulcro agit; subdit enim „ *Nec longe ab illa Maria constantinopolitana, genere nobilissima, fato non impari excepta. Earum monumenta graeco charactere marmori incisa fuere.* „ In quo tamen fallitur Ciampinius, dum graecum Carolae quoque epitaphium fuisse asseverat, quod latine scriptum constat ex Ciaconio tom. iii. pag. 123. Cum autem Turrigius aperte tradat Mariae epitaphium intercidisse (2), litterarum vero forma, quae in nostro fragmento supersunt,

(1) In cryptarum ichnographia ab eo edita, de qua in praefatione §. II.

(2) Pag. 604. „ Maria costantinopolitana . . . . . . fu sepolta presso alla regina di Cipri *con bellissimo epitaffio greco, che per trascuragine perì.* „

antiquius redoleat saeculum; ad aliam quamlibet idcirco inscriptionem pertinuisse potius eas litteras, quam ad Mariae constantinopolitanae epitaphium putamus.

In extremo cuniculi recessu, eo in loco, quem littera *y* designat, adparet adhuc stylobatae illius ex tiburtino lapide quaedam pars, cui per totum basilicae ambitum extrinsecus corinthiae parastades insistunt. Cum Paulus v. novum templum orientem versus ulterius produxit, ut intra eius terminos totam templi veteris aream complecteretur, haec externi stylobatae pars in novae basilicae parietibus inclusa fuit.

AD NVM. 173., 173., 173. *Append. tab. XVII. num. 1., 2.*

Vetustissima et nobilissima simul Vrsina gens duodecim sacella in veteri basilica exstruxerat, quemadmodum supra ad numerum 101. pag. 61. adnotavimus. Ad unum aliquod ex illis pertinuerunt olim procul dubio tria gentis eius stemmata, quae marmoreis tabulis insculpta in pavimento inversa nuper fuerunt reperta. Quorum duo cum inter se nulla in re differant, alterum ex illis tantummodo in XVII. huius Appendicis tabula num. 1. in aes incidendum duximus: in fragmento autem, quod eiusdem tabulae numerus 2. repraesentat, illud notatu dignum occurrit, quod una cum Vrsinae gentis stemmate alterius quoque non minus vetustae ac nobilis gentis *de Anguillaria* stemma coniunctum in eo adpareat. (1)

AD NVMERVM 174. *Dionysius tab. LVI.*

Vrbani VI. monumentum longe aliter exhiberi a Grimaldio, atque a Ciaconio superius ad numerum 16. pag. 20. monuimus. Cum vero Grimaldius monumentum ipsum, antequam suo loco dimoveretur, saepissime viderit, ac praeterea quando in cryptas e veteri basilica pontificis cadaver delatum est, ipse praesens interfuerit, et translationis eius instrumentum confecerit; nemini absurdum videbitur, si maiorem in hoc fidem ipsi potius, quam Ciaconio habendam putemus. Quare, ut ex Grimaldii schemate dignoscitur, sarcophagus iste, quem nunc in boreali cryptarum navi cernimus, fuit olim marmoreo quodam tegmine, tabernaculi instar, coopertus, quod marmoreis columellis sustinebatur.

AD NVMERVM 175. *Append. tab. XIV. num. 5.*

Exstitit ad nostra usque tempora parva quaedam ecclesia in regione Pontis sita, ac sanctis martyribus Cosmae et Damiano dicata. Non multis abhinc annis in profanos usus versa nihil aliud nunc pristinae retinet formae, nisi marmoreos postes ac limina portae, in cuius epistylio martyrum Cosmae et Damiani effigies insculptae olim fuerant, adiectis ad singulas inscriptionibus S. COSMAS, S. DAMIANVS, quae abrasae penitus postea fuerunt. Cum ad sancti Blasii *in cantu secuto* abbatiam pertineret (2), quo ex tempore vaticanae basilicae Capitulum eam abbatiam obtinuit, in eius iura haec etiam ecclesia concessit: a quo tonsorum sodalitati anno MCCCCLXXIX. traditam fuisse, tum ex inscriptione ista discimus, tum ex capitularis archivi mo-

(1) De *Anguillaria* gente Franciscus Gualdius ariminensis in opere, cui titulus *Memorie sepolcrali di diverse famiglie* haec habet. „ *Il tronco di questa generosa famiglia, per armi e per pietà assai chiara, era distinto in tre rami: in quello dell'* Anguillara, di Stabbia, *e di* Ceri. *Hora* (scribebat haec auctor circa medium XVII. saeculum) *si conserva nel solo ramo di Stabbia, di cui è capo il conte Giovanni Anguillara congiunto in matrimonio con D. Giulia Albertina Caracciola napolitana.* „ Gualdii opus etsi imperfectum, non tamen spernendum, partim typis impressum, partim manuscriptum in casanatensi bibliotheca adservatur.

(2) In via illa, quae nunc *iulia*, olim vero *florida* adpellabatur, situm est vetustum sancti Blasii templum ac monasterium; quod in *monte secuto*, vel *de cantu secuto* in medii aevi monumentis denominatum legimus. Ad monachos ordinis sancti Benedicti quondam pertinuit: eique monasterio iordanus cardinalis Vrsinus, episcopus sabinensis, et vaticanae basilicae archipresbyter, cum anno MCCCCXXXVIII. e vivis excederet, bibliothecam suam omnem pretiosa manuscriptorum librorum supellectile instructam testamento legavit. Vide Turrigium pag. 398., nec non Bullar. vatic. tom. II. pag. 180., 183.

nnmentis. Anno deinde MDCCVII. sodalitati, cui a sancta Elisabeth nomen est, concessa, vergente ad finem saeculo, in profanos usus conversa fuit; quo tempore credibile est hanc inscriptionem, quae in ecclesia ipsa existebat, loco sno amotam in cryptas fuisse translatam. (1) Qund si Martinellio fides habeoda (2), iam inde ab anno MDCLIII., quo ipse suum de Roma opus edidit, in profanos usus fuerat conversa; ita enim de illa scribit. „ *Sanctorum Cosmae et Damiani* (templum) *prope s. Luciae Confalonis adhuc apparet profanatum cum inscriptione supra portam: erat filiale basilicae vaticanae. Cam. Fanuc. c. 24. lib. 4.* „

AD NVMERVM 176.

Vbinam olim anaglyphum istud exstiterit, omnino ignoramus; in vaticanas tamen cryptas nuper delatum, et cum reliquis sacrae antiquitatis monnmentis coniunctum ideo fuit, quod ad veterem basilicam procul dubio pertinuisse locus ipse satis demonstret, in quo a nobis inventum fuit. Erat enim ubi picturarum, et marmorum praecipue omois generis fragmenta adservantor, quae in instaurandis vel innovandis quiboslibet basilicae partibus suis quaeqoe locis removeutur, aliis postea usibus, ubi opus fuerit, inservitura.

AD NVM. 178. *App. tab. XXXVII. num. 2.*

In antiquis etiam christianorum templis presbyteros a laicornm coetu peculiari ac digniori loco seursum consedisse uemini vel ignarissimo est ignotom. Locus ipse presbyterium adpellabatur, et marmoreis undique tabulis, sive cancellis circumseptus supra reliquae ecclesiae pavimentum adsurgebat. Tabulaa autem illae (qnas *pectoralia* proprio vocabulo adpellatas fuisse constat) variis utrinque anaglyphis in oroatum additis decorabantur, et plerumque veneraodo crucis insculpto signo. Harum tabularum una ea est, quae hoc numero notatur; cuius fragmenta e pavimento cryptarnm sublata, ubi dissitis in lncis inerant, in unum coniuncta nuper fuerunt. Longa est palmos decem, alta quinque et semis, et palmarem habet crassitiem: singulae vero eius facies binas quadratas areolas singulis in medio floribus ornatas prae se ferunt. Alia quoque huic similis, etsi magna sni parte mutila, e pavimento pariter sublata, cui sternendo inserviebat, binas utrinque cruces iosculptas babens sub numero 198. exstat.

Qund si ad presbyterium huiusmodi tabulae minime pertinuerunt, fuere certe inter columnas illas, quae ante sacram confessionem locatae palmorum decem ioter-vallo siogulae invicem a se distabant. Quemadmodum enim in Alpharani ichnographia num. 5. licet videre, duodecim elegantissimi operis vitineae columnae (quae in basilica hodieque supersunt) ita ante confessionem duplici ordine erant dispositae, ut porticum hexastylon, vestibuli instar, efficerent; quae porticns interiectis inter columnarnm stylobatas marmoreis tabulis uodique claudebatur, et unico tantum aditu in media fronte patebat iis, qui veneraturi beati Petri sepnlcrum eo accederent. Recolantur heic, quae ad litteram F. pag. 21. de hac portico scripsimus, quam ex vaticani palatii pictura expressam in tabula huius Appendicis IV. exhibemus.

AD NVM. 179., 180., 181. *Append. tab. XXXVIII. num. 6., 3., 5.*

Tria baec marmorearum tabularum fragmenta cruces utrinqne habent insculptas, unde ad altaris vel sacelli alicuius septum ea pertinnisse evidenter patet. Quo-

(1) Cum inscriptio nihil prorsus in se habeat peculiare, supervacaneum nonnullis fortasse videbitur eam in aere incisam exhiberi, quod ultro et nos fatemur; verum id iampridem factum deprehendimus, cum Appendicis huius conficiendae munus nobis fuit demandatum.

(2) Roma ex ethnica sacra pag. 352.

minus vero in presbyterio, vel in intercolumniis porticus ante sacram confessionem sitae, tabulas istas olim fuisse putemus, earum mensura obstat, quippe quae tum crassitie, tum longitudine valde differant ab illa, de qua in superiori numero verba fecimus.

AD NVMERVM 182. *Dion. tab. LVIII.*

Sarcophagum, in quo Marcelli papae II. corpus iacet, in vaticano coemeterio inventum fuisse Bosius testatur. (*) Marmoreo clauditur operculo, in quo desuper Cervinae gentis stemma una cum inscriptione incisum est, quae duo perperam Dionysius ita exhibet, quasi non in ipso sarcophagi operculo, sed in alio marmore exstent. In operculi autem fronte nomen pontificis a Dionysio omissum brevi hoc titulo MARCELLVS . PAPA . II . indicatur.

AD NVMERVM 183. *Append. tab. XXXVIII. num. 2.*

E pavimento cryptarum, in quo inversum situm erat, fragmentum istud sublatum fuit; quod ad alicuius altaria vel sacelli septum pertinuisse veri simile videtur, cum ab illis marmorearum tabularum fragmentis, quae numeris 179., 180., ac 181. notantur, nulla prorsus in re differat.

AD NVMERVM 185. *Append. tab. XXXVIII. num. 1.*

Ad Bonifacii VIII. monumentum istiusmodi fragmentum spectare persuasum nobis est, cum in monumenti illius schemate ornatus quidam, peripetasmatis instar, huic in omnibus plane similis fuerit; quemadmodum videre est apud Ciampinium tab. XX. littera D., ubi Bonifacii VIII. monumentum ex grimaldiani codicis folio 29. delineatum repraesentatur.

AD NVMERVM 189. *Append. tab. XXXI. num. 1.*

Sanctes de Pazillis vaticanae basilicae beneficiatus, cuius epitaphium hoc in marmore legimus, obiit anno 1511. pridie nonas octobres, uti ex basilicae necrologio innotescit. Nonnulla de ipso habet Cancellierius pag. 743., ubi et inscriptionem refert. Cum autem quinque et quinquaginta post Pazillii obitum annis marmorea tabula, in qua eius epitaphium erat, in alterius sepulcri usum adhibita fuisset, atque in postica eius facie Ioannis Baptistae Perbenedicti camertis (qui anno 1566. obiit) epitaphium fuisset insculptum; hinc factum est, ut longo temporis tractu Pazillii inscriptio parieti obversa latuerit, ac penes Turrigium dumtaxat legeretur, qui pag. 433. haec de illa habet. „ *Dietro a questa lapide* (Ioannis videlicet Baptistae de Perbenedictis) *è intagliato l'epitafio di Sante Pazillo romano, il quale servì in san Pietro sessanta anni; hora non si puol più leggere, ma havendolo io copiato qui lo pongo* ARMA THOLO EMERITVS etc. „ Nunc vero seorsum utrumque exstat epitaphium, cum in duas tabulas marmor fuerit dissectum: quod quandonam et quo potissimum auctore ac suasore sit factum, ignoramus: Dionysii certe aetate Pazillii epitaphium obversis in parietem litteris adhuc latebat, cum in eius opere nulla prorsus Pazillii mentio habeatur. Sepulcri situm, in quo Pazillius iacebat, Alpharanus in tabula ichnographica numero 145. ita designat, *altare sancti N., et sepulcrum nobil. de Perbenedictis*; in manuscripto autem libro plenius ad eumdem numerum haec habet.

(*) Roma sotterranea edit. an. 1632. pag. 57.

„ *Altare sancti N., ante quod fuit sepultus Sanctes de Pazillis huius basilicae beneficiatus, et iuxta eum Ioannes Baptista Camerti, divi Petri eques, palatinusque comes, et Pauli III. pontificis maximi domesticus.* „

AD NVMERVM 190. *Dion. tab. LXIV.*

Agnetis Columnae cineres et ossa humi sub magna marmorea tabula iacent, quae operarum forsitan incuria, vel potius ob loci angustias ita fuerat collocata, ut Ioannis Podii et Maffioli a Lampugnano sepulcria superposita illorum inscriptiones aliqua ex parte operiret. Quod minus commode olim factum, emendatum tandem fuit nuper, amoto ex cubiculo hoc Francisci Bandini Piccolominei sepulcro, quod impedimento erat, ne Agnetis Columnae sepulcralis lapis retrahi posset, et latentes sub eo inscriptiones lucem iterum adspicerent. Videsis quae superius ad numerum 86. pag. 55. dicta sunt.

AD NVM. 191. *Dion. tab. LXIII. num. 1. Append. tab. XXXIX. num. 1.*

Integrum Ioannis Podii bononiensis episcopi epitaphium Vghellius edidit, sive ex ipso lapide a se descriptum, sive aliquibus in schedis inventum. Quam bene id praestiterit nunc tandem innotuit, cum detecto marmore inscriptionem totam ad amussim cum eius apographo convenire deprehensum est. Quare immerito Dionysius de ughelliani apographi fide (incertum qua de caussa) dubitavit, dum haec pag. 164. scriberet. „ *Epigraphem hanc accurate fuisse descriptam haud equidem affirmo.* „

AD NVM. 192. *Dion. tab. LXV. num. 1. Append. tab. XXXIX. num. 2.*

Inscriptio, quae in extrema marmoris ora circumcirca insculpta legitur, huiusmodi est:

† HIC IACET REVERENDVS PATER DOMINVS MAFIOLVS DE LAMPVGNANO DE MEDIOLANO. EPISCOPVS PLOCENSIS. AC RECTOR CAMPANIE. DOMINI NOSTRI PAPAE REFERENDARIVS. QVI OBIIT ANNO DOMINI MCCCLXXXXVI. DIE XVII. IVLII. IN PACE.

Etsi autem litterae valde sint detritae, quemadmodum Dionysius pag. 166. adnotat, perspicue tamen singula legi possunt verba; neque parum idcirco tum Alpharani, tum Dionysii ipsius culpanda est oscitantia, qui voces illas AC RECTOR CAMPANIE, vel caecutientibus dignoscendas, omiserunt. *Campaniae rector* dictus aliquando fuit, qui suprema cum potestate mittebatur in illam ditionis pontificiae partem, quae vulgo *Maritima*, *e Campagna* adpellatur, ut ea loca cum imperio regeret. Inter eos, quibus huiusmodi munus circa haec tempora demandatum fuit, eminet Antonius de Vetulis viterbiensis, episcopus firmanus, de quo haec babet Vghellius tom. II. pag. 713. „ *Eumdem Bonifacius* (nonus) *Ianuam legavit, gubernatoremque generalem Campaniae ac maritimae effecit.* „

Ceterum nullam in epigraphe lacunam agnoscimus post verbum PLOCENSIS, cum et sensus recte sibi constet, et extremus tabulae marmoreae margo iam tum hac in parte fractus fuisse videatur, cum inscriptio fuit exarata. Si marmori fides habenda sit, obiit Maffiolus XVII. die mensis iulii, non autem XXVII., prout in utroque basilicae martyrologio notatur. Plocensem porro episcopum adpellat tum lapis, tum vetustius illud martyrologii exemplar, de quo in praefatione verba fecimus §. IV.; in recentiori vero martyrologii eiusdem apographo amanuensis inscitia factum est, ut loco *plocensis* scriberetur *placens.*, quod manifestum alioquin mendum in caussa fuit, ut Maffiolus noster a nonnullis *placentinus* episcopus sit habitus, etsi nullum unquam huiusce nominis episcopum placentinae ecclesiae praefuisse constet.

AD NVM. 193. *Dion. tab.* LXVI. *num.* I. *Append. tab.* XL.

Longum nimis esset pravas Alpharani, Grimaldii, ac Turrigii interpretationes inscriptionis huiusce referre, quas qui nosse cupit, adeat is Cancellieriom pag. 1047. Propius ad verum accessit Petrus Detoi, cuius lectionem Dionysius operi suo pag. 168. inseruit, sed et ipse in aliquibus offendit. Atque hoc eo magis miramur, quod epitaphium, etsi aliqua ex parte, detritis valde litteris, evauuerit, uon adeo tamen totum intercidit, ut plurima et praecipua eius verba perspicue a diligenti ac perito viro legi non possint. Est autem huiusmodi

✝ HIC HEQVIESCIT CORPVS NOBILIS MVLIERIS CIZVLE FRANCE VIDVE DE NEAPOLI . RELICTE.... (*heic nomen mariti periit*) NEAPOLI . *Quae* OBIIT ANNO *Domi*NI M . CCC . LXXXXIIII. INDICTIONE . II. DIE . VI. MENSIS FEB*ruarii* .

Vt facile quisque, mensura adhibita, per se colligere potest ex huius Appendicis tabula XL., in qua summa cura delineatam inscriptionem edimus, triginta quinque circiter litterae in lapide pedum attritu evanidae desiderantur, reliqua vero omnia ita clare adparent, ut nullom prorsus legentibus negotium facessant. Mulieri nomen *Cizula* fuit, quod ὑποκοριστικὸν est nominis *Gislae*, sive *Gisilae*. Hoc autem nomen, quod ex *Giselberga* decurtatum promanavit, (1) feminis passim olim impositum, infinita propemodum exempla docent, quae huc adferre supersedemus, tres tantum prae ceteris *Gisilas* commemorasse contenti; quarum una Caroli magni soror fuit (2); altera sancti Henrici II. imperatoris soror, sancto Stephano Hungariae apostolo ac regi nupta; tertia denique Chonradi II. imperatoris uxor. Si omnes ii, quotquot hactenus hoc nomen in marmore legere adgressi sunt, animadvertissent in eo litteram I parva transversa linea sectam hunc in modum Ɨ ubique in epitaphio scribi; ac praeterea in marmorum et manuscriptorum librorum lectione vel tantillum versati fuissent, in quibus litterae Z haec saepissime 3 forma occurrit; nulla profecto nominum monstra protulissent. *Relictam* de vidua muliere dici ab omnibus medii et infimi aevi scriptoribus, nota res est; eiusque vocis elementa singula adeo nitide in marmore sunt exarata, ut undenam suum illud RENATE Petrus Detoi expiscatus fuerit, animo concipere nequeamus.

De gente *Franca*, sive *de Franchis*, e qua Cizulam ortam fuisse monet epitaphium, plurima invenies apud Ferrantem della Marra: (3) e quibus hoc praecipua animadversione dignum videtur, quod pag. 168. refert. „ *Nel* 1458. *Franca di Franco di Capoa, in assenza dei veri Franchi da Capoa, ottiene da re Ferrante nel castel di Capoa la conferma del privilegio, che il nuovo re entrando in quella città la prima volta sia guidato per il freno dal più vecchio di casa di Franco, e che suo sia il cavallo reale, e della moglie l'anello della regina: e l' ottiene per Pietro della Valle suo figlio, e poi per Francesco d'Abenavolo figliuolo di* Gilemma *di Franco sua sorella, con patto però, che lascino il paterno cognome della Valle, e d'Abenavolo, ambedue famiglie principalissime, ed assumino il materno di Franco, con aggiunta dell' essenzion de' fiscali, e d'ogni altra gravezza. Vien confirmato questo privilegio a Luigi di Franco, e d'Abenavolo, che sarà discendente dalla sudetta* Gilemma *di Franco, da re Filippo* II. *l'anno* 1559. *in Bruscelle.* „

Cizulae maritum, cuius in exesa marmoris parte nomen intercidit, ex eadem, qua ipsa, gente, diversa tamen familia, Neapolis in urbe, prognatum fuisse, suspicamur e

(1) De nominis *Giselbergae* etymo vide Hugonis Grotii historiam Gotthorum in explicatione nominum adpellativorum.

(2) Einhardus in vita Caroli magni. „ *Erat ei unica soror, nomine* Gisla, *a puellaribus annis religiosae conversationi mancipata, quam similiter ut matrem magna coluit pietate.* „

(3) Discorsi delle famiglie imparentate colla casa dalla Marra. Napoli 1641.

stemmate, quod in medio marmoreae tabulae insculptum superest. Scutum enim bifariam a summo ad imum sectum, geminatum viri quidem dextrorsum, uxoris autem sinistrorsum stemma continet, quod huiusmodi est. Scuti coronidem (vulgo *capo dello scudo*) aves numero tres, incertum coturnicesne sint an aliae aves, dextrorsum conversae obtinent: reliqua scuti area balteis tribus distinguitur. In quo quidem animadvertendum Galganae, sive Garganae, gentis stemma huic in omnibus simile fuisse, quemadmodum e Philiberto Campanili colligimus, qui (*) pag. 92. haec tradit. „ *Fra le più chiare famiglie, che venisser di Francia nel nostro regno, è una la Gargana, che alle volte vien anche chiamata Galgana, come si vede dalle più antiche scritture di lei, la qual fin dall' insegne del suo casato dimostra come ella habbia origine oltramontana: essendo quelle un campo partito per mezzo, nella cui parte di sotto vi son tre bande vermiglie interposte a tre altre di argento, e nella parte di su in campo d' oro tre uccellini azurri, i quai secondo le leggi d' oltramontani sono privi di piedi e di becco.* „

AD NVMERVM 194. *Dion. tab. LXVI. num.* 2.

Incompertum omnino est quemnam sarcophagum operculum istud olim clauserit; hoc dumtaxat ex insculpta viri figura innotescit, episcopi alicuius, vel cardinalis sepulcro fuisse impositum. Christophorum cardinalem Maroninm hoc in marmore expressum esse suspicamur, quem in veteri basilica, elogio addito, sepultum fuisse constat, prout in praefatione §. IV. monuimus: quam tamen coniecturam nullo, probabili saltem, argumento confirmare possumus. Quidquid vero sit, emendandus certe est Dionysius, qui Lagrolasii cardinalis hanc esse imaginem credidit, et inscriptionem Lagrolasii sepulcralem a Turrigio pag. 430. relatam *iamdudum intercidisse aut alicubi latere* adfirmat. Quod incredibilem sane hominis oscitantiam prodit: praegrandis enim marmorea tabula, in qua Lagrolasii imago una cum eius epitaphio incisa est, hoc eodem in cubiculo in pavimento exstat, adeo proxime anonymo huic marmori coniuncta, ut sese invicem tangant.

AD NVMERVM 195. *Dion. tab. LXIII. num.* 2.

Recolantur heic quae superius ad numerum 189. diximus, cum de Pazillii epitaphio egimus, quod in antica tabulae huiusce marmoreae facie antiquitus insculptum fuerat.

AD NVMERVM 196. *Append. tab. XLI. num.* 2.

Marmorea haec tabula in pavimento strata cardinalis Lagrolasii effigiem incisam una cum eius epitaphio habet. Eam Turrigius pag. 430. tradit sua aetate humi exstitisse ex adverso sepulcri Berardi cardinalis Heruli: atque etiam Gizius in basilicae descriptione Romae anno 1721. edita pag. 87. adfirmat e regione sepulcri cardinalis Heruli reperiri „ *nel pavimento del pilastro la lapide sepolcrale del cardinale Giovanni Lagrolasio francese con la sua effigie assai consumata.* „ Nunc in cubiculo, quod ab Agnete Columna vocatur, humi secus parietem sita est; neque adeo vel effigies ipsa, vel inscriptionis litterae detritae sunt, ut facile agnosci ac legi a quolibet non possint. Emendandus autem est Cancellierius, qui pag. 1051. hanc inscriptionem diligentius quidem exscriptam, quam antea ab aliis praestitum fuisset, edidit, verumtamen in hoc maxime fallitur, quod in linea tertia titulum sanctae Sabinae in Aventino *notis initialibus* designari putat, cum in marmore nonnisi vox SACTISS

(*) L' armi, ovvero insegne de' nobili. Napoli 1610.

idest *sanctissimo*, habeatur. Neque minus erret, eum ibidem subdit marmoreem figuram illam, quam Dionysius in tabule LXVI. num. 2. repreesentat, eardinelis Lagrolasii effigiem referre: quod feeile per se quilibet falsum deprehendet, modo unam cum eltere attente eontulerit. Qua de re vide quae supra ed numerum 194. adnotantur.

AU NVM. 197. *Dion. tab. LXV. num. 2. Append. tab. XLI. num. 1.*

Cum archiepiscopi bisuntini epitaphium ebsque anni nota, quae initio eius legitur, meneum Dionysius in tabule LXV. exbibuerit; ipsam precteree defuncti effigiem male delineatam ab archetypo expresserit, omissis quoque iis, ques ed ornetum artifex addidit, figuris: ea nos ideireo eceuratius ut repreesentarentur operam dedimus, superstites inseriptionis voces, que epitaphium detritum est, ex litterarum evanidarum vestigiis, quantum lieuit, expiscantes. Quae igitur epitaphii verba legi adhuc possunt, haec sunt

ANNO DomiNI. M. CCCC. XXIX. DIE. XVI. SEPTEMBRIS. TemPorE SanCtISSIMI DomiNI MARTINI PaPE. QVArTI POnTIFICATVS. SVI ANnO. XII. REVERENDISSImus IN XPO PateR DomiNus THEOBALDVS DE RVBEO MOnTE ARCHIEPiscopVS BISVNTINus MAGNVS DE .... TA GLOrioSA IN HAC VRBE IN DomiNO OBIIT ET .... CORPVS SVVM GENERALEM MORTVORVM EXPECTANS RESVrRECTIONEm REPoSITVm QVIESCIT AnImA EIVS In SINV ABRAHE COLLOCETVR AMEN.

AD NVMERVM 198. *Append. tab. XXXVII. num. 1.*

Marmoreem hene tabulam, eum et magnitudine et operis ertificio similis illi esse deprehendatur, de qua ed numerum 178. loeuti sumus, eidem omnino usui inserviisse palam est. E cryptarum pevimento, eui sternendo post veteris basilicae demolitionem fuerat edhibita, etsi valde mutilam, tollendem euravimus, etque heic muro adfigendam, ne eontinuo pedum adtritu symbola in ea insculpta magis magisque in dies obliterarentur.

AN NVMERVM 199. *Dionysius tab. LXIX. num. 1.*

Hoc Pauli epostoli caput musivo opere elaboretum Dionysius pag. 173. testatur sua eetate fuisse *antiquitate ita excsum ac deformatum, ut sanctissimi gentium doctoris vultum ibi repraesentari, nonnisi epigrammatum ope* innotesceret; unde manifestum fit, iconem ab eo exhibitam in tabula LXIX. num. 1. ex mente etque erbitrio ertificis, non ex pieture ipse, quae dignosei amplius non poterat, fuisse effietam. Instauratum non multis ebbine ennis fuit; in quo preestando eeutum est, ut exemplar ertifiei proponeretur ee beati epostoli musive imago, quee in veteris basilicae abside erat: omnes enim picturas, quibus opere musivo elaboratis ebsidis eonebe exornabatur, in membrane nitidissime ee diligentissime delineatas basilieee arehivum adhuc servet, ex qua membrene Ciampinius in tabula XIII. eas vulgevit.

AD NVMERVM 201.

En ipsam inseriptionem, quae beie loci mermorea in tabula insculpta legitur:

HVC . MVLIERIBVS . INGREDI . NON . LICET . NISI
VNICO DIE LVNAE POST PENTECOSTEN
QVO . VICISSIM VIRI INGREDI PROHIBENTVR
QVI . SECVS . FAXINT ANATHEMA SVNTO .

Sciendum est autem eamdem quoque antiquitus viguisse consuetudinem, ut feminae aditu subterranei sacelli post sacram confessionem siti excluderentur, excepta secunda post Pentecosten feria. Testis est in libro manuscripto Alpharanus, ubi num. 10. de subterraneo oratorio haec habet. „ *Hic locus fuit magnae semper habitus devotioni, et feminis sub anathematis poena inaccessus, nisi unico die lunae post Pentecosten.* „

AD NVMERVM 203. *Dion. tab.* LXIX. *num.* 3.

De tabernaculo, quod Innocentius papa VIII. exstruxit, ut in eo sacram lanceam adservandam reconderet, ad numerum 23. et 67. verba fecimus: de polyandrio autem, quod heic post parietem est, haec Turrigius tradit pag. 61. „ Vi furono portate circa cinquanta casse piene d'ossa di santi, aiutando a portarvele alcuni canonici, e penitentieri gesuiti di san Pietro. „ Ea vero defunctorum ossa sub pavimento basilicae veteris reperta fuisse, cum Paulus V. novum templum ampliavit, ex adposita istiusmodi inscriptione discimus

☧

POLYANDRIVM
HVC . CONGESTA . SVNT . OSSA . OMNIVM . SANCTA
OPINIONE . DEFVNCTORVM . NOVI . GRATIA
TEMPLI . ERVTA . E . LOCVLIS . SVIS . VT
COMMVNI . CONDITORIO . REQVIESCANT
PAVLO . V . PONT . MAX

AD NVMERVM 204. *Dion. tab.* LXXII. *num.* 3.

Sancti Blasii sacellum in Alpharani ichnographia numero 62. ita designatur, *altare s. Blasii a Poncello de Vrsinis*; in manuscripto vero ita fusius de eo scribit. „ *Iuxta praedictum altare* (s. Nicolai) *sequebatur aliud sacellum, et altare beato Blasio dicatum episcopo, et martyri, quod Poncellus de filiis Vrsi construi fecerat, et dotaverat; iuxta quod ipse etiam sepultus requiescit, et Agnes eius uxor filia marchionis Montisferrati cum suis maioribus.* „

AD NVMERVM 205. *Dion. tab.* LXXI. *num.* 2.

In monumento Pauli II. anaglyphum istud fuisse adposita inscriptio monet: quamquam in illius monumenti schemate, quod a Ciaconio exhibetur (*), huiusmodi anaglyphum nequaquam adpareat, quemadmodum et ante nos Dionysius pag. 177. animadvertit. Neque vero hoc mirum cuiquam videri debet, si recolat ea, quae superius ad numerum 6. diximus de schematis illis, quae tertiae ciaconiani operis editioni addita fuerunt. Persuasum igitur habemus in Pauli II. monumento extitisse hoc anaglyphum una cum reliquis quatuor, quae sequuntur, cum et operis elegantia et artificium simile in omnibus prorsus adpareat.

AD NVMERVM 209. *Dion. tab.* LXXIII. *num.* 5.

In hoc anaglypho, ut nunc quidem est, Adami et Evae statuae non amplius adparent; cum enim non ex uno eodemque saxo fuissent exsculptae, sed seorsum elaboratae, atque aeneorum clavorum ope suis locis adfixae, casu deinde aliquo avul-

(*) Tom. II. pag. 1093.

sae interciderunt. Supersunt tamen adhuc in marmore extrema utriusque figurae lineamenta, et parva quaedam foramina clavis excipiendis excavata: quod ideo adnotandum heic ducimus, quia nullum harum figurarum in Dionysii tabula vestigium exstat, quas tamen in ciaconiano monumenti schemate delineatas invenies.

AD NVM. 210., 211. *Dion. tab. LXXIV. num.* 1., 2.

Nullibi invenire nobis contigit ullum de duabus hisce statuis iodicium, quas ad sepulcri alicuius ornatum exsculptas ex earum magnitudine coniieimus, et ex consuetudine, quae olim viguit, monumenta sepulcralia huiuscemodi statuis decorandi, ut passim ubique videre licet: apostolorum autem statuas esse non male suspicatur Dionysius pag. 183.

AD NVMERVM 214. *Dion. tab. LXXIV. num.* 3.

De hoc anaglypho, quod ad ciborium pertinuit ab Innocentio VIII. exstructum, periode ac de altero, quod numero 203. notatur, videsis quae ad numerum 67. pag. 37., ac 38. ex Grimaldio retulimus. Eam vero Christi salvatoris imaginem, quae supra illud sita est, nihil commune habere cum ipso vel primo statim adspectu patet: quod ideo monemus, ne quis fortasse in ciborio innocentiano ipsam exstitisse credat; cum in grimaldiano eius ciborii schemate, de quo ad numerum 23. pag. 23. verba fecimus, nusquam huiusmodi imago adpareat.

AD NVM. 217. *Dion. tab. LXXV. num.* 4., et 1. *Append. tab. XIV. num.* 2.

Bina hoc numero monumenta notantur; marmorea videlicet tabula ex Pauli II. monumento, quae Christum resurgentem repraesentat, et fragmentum quoddam picturae musivo opere elaboratae, quod in Ioannis VII. sacello fuit. Ac de marmorea quidem tabula non est dubitandum, quin ad Pauli II. monumentum pertinuerit, cum et ex Turrigio (pag. 39.), et ex Ciaconii schemate id innotescat: ac proinde inscriptionis recentis testimonium, quae in Callisti III. monumento eam exstitisse adfirmat, nihili faciendum est. (1) De musivi autem operis fragmento notamus, exhiberi quidem illud a Dionysio in tabula LXXV. num. 1., sed ita mancum, ut unica tantum in eo figura adpareat. Nos, ut nunc exstat, aere incidendum curavimus in Appendicis tabula XIV. num. 2. Dimidiatae in eo sunt figurae, Longini nempe centurionis, et beatae Virginis Christo crucifixo (cuius imago periit) adstantis, uti deprehenditur ex Grimaldii opusculo de sacrosancto sudario, in quo pag. 117. maiori, quam apud Ciampinium modulo (2) delineatum exstat.

AD NVMERVM 222. *Dion. tab. LXXVI. num.* 3.

Francisci Bandini Piccolominei Senarum archiepiscopi epitaphium numero 86. notatum superius vidimus. Ex eius verbis IN BASE D. ANDREAE OSSA HIC RESVRRECTIONEM EXPECTANT patet archiepiscopum humi sibi parasse sepulcrum ad basim statuae divo Andreae apostolo dicatae. Superest adhuc statua illa eo loci sita, quo ex basi-

(1) Inscriptio, quae in marmorea tabella supra anaglyphum legitur, huiusmodi est:

CHRISTI . RESVRGENTIS . IMAGO .
EXSTANS . AD SEPVLCRV̄ .
CALISTI . PAPAE . III̊ .

Quare Dionysium miramur, qui pag. 181. nota 1. longe aliter eam retulit hunc in modum: CHRISTI RESVRGENTIS IMAGO EXISTENS AD SEPVLCHRVM PAVLI. II.

(2) De sacris aedificiis a Constantino magno constructis, tab. XXIII. litt. D.

lica in sacrarium est aditus; haec vero est ea basis, de qua in inscriptione sermo. De statua in suo manuscripto haec habet Alpharanus num. 84. „ *Eximium Pii II. sepulcrum, tumulo Pii III. simile, ante quod sub marmoreo lapide dictorum Piorum II. et III. corpora humata fuere. Nostris vero temporibus iuxta dictum sepulcrum Pii II. Franciscus Bandinus de Piccolominibus Pii II. pronepos* (1), et *Senarum archiepiscopus dignissimus humi sub tabula marmorea sepulcrum vivens sibi elegit, et super altare s. Gregorii papae I.* magnam marmoream s. Andreae apostoli statuam *multo precio redemptam collocavit.* „ Basis autem et statuae iterum in schedis meminit pag. 24. „ *Non molto longe da questo sepolcro* (Pii scilicet II.) *quasi dieci palmi è* la statua di s. Andrea *novamente posta, con questa inscriptione a piede alla basa della statua* DIVO ANDREAE D. N. IESV XPI APLO etc. „ Ex huius basis inscriptione colligitur Franciscum Bandinum annos tres et octoginta natum obiisse, quod Vghellium, diligentissimum ceteroquin hominem, latuisse videtur, cum tantummodo tradat, (2) anno 1588. Senarum archiepiscopum *effoetae aetatis* Romae decessisse.

AD NVM: 223. *Dion. tab. LXXVI. num. 2. Append. tab. XXXV. num. 1.*

Quantum quidem iudicare licet ex illo monumenti Nicolai papae V. schemate, quod in tabula Appendicis XXXV. num. 1. aere incisum exhibemus, haec Salvatoris imago, dummodo ad illud monumentum pertinuerit (quod pro certo adfirmare non audemus) nullo alio in loco potuit in eo esse nisi in A. supra pontificis ipsius sarcophagum. Superioribus enim saeculis diu hic mos obtinuit, ut sepulcralia monumenta iisdem fere omnia partibus constarent; *stereobata* scilicet in imo, cui *binae* vel *plures* hinc inde *columnae*, modo *rotundae*, modo *quadratae* insisterent; ac praeterea supra columnas *fastigio*, cui *candelabra* in angulis, et in summo *crux* imponebatur. Medium inter columnas spatium cellae quamdam speciem plerumque prae se ferebat, sive *laqueatae*, sive *concameratae*, cuius ima sarcophagus obtinebat, summa vero *sculptis* figuris, vel *pictis*, vel *opere musivo elaboratis* decorabantur. Haec omnibus universe in monumentis usque ad saeculum decimum sextum forma observatur, neque ea inter se nisi diverso partium singularum ornatu differunt: atque haec eadem in Nicolai V. monumento adparet, in quo ex dictis satis patet, quem olim locum obtinuerit anaglyphum hoc numero notatum.

AD NVMERVM 232. *Dionysius tab. LXXXI.*

Supra Iunii Bassi sarcophagum est marmorea quaedam pyramis, quae marmoreum itidem globum in vertice sibi impositum sustinet opere musivo ornatum. Fuit olim in summitate ciborii a Ioanne VII. exstructi, ut in eo sacrosanctum sudarium adservaretur. Huiusmodi globus Christi crucifixi imaginem sustinebat *ex aere olim inaurato*, quemadmodum Grimaldius in suo *de sudario et lancea* opusculo testatur pag. 152., ubi eius quoque schema exhibet. Cum vero antiquissima illa imago, iam inde ab Innocentii XI. tempore furto ablata fuerit, alia in eius locum marmorea crux fuit suffecta; quod ab Epiphanio Gizio in basilicae descriptione pag. 100. ita memoriae traditum. „ *Sopra il pilo* (Iunii videlicet Bassi) *si mira una palla lavorata a mosaico, sopra la quale era un antichissimo Crocefisso di bronzo da me veduto, che già stava nella sommità del ciborio di Giovanni VII.*, e *fu rapito da mano sacrilega nel pontificato d'Innocenzo XI.* „ Plenius vero Turrigius pag. 48. haec habet. „ *In cima* (nempe supra Iunii Bassi sarcophagum) *vi è un antichissimo Crocefisso di bronzo*,

(1) Fallitur heic Alpharanus; non enim Pii II., sed Pii III. fuit pronepos.
(2) Ital. sac. tom. III. pag. 57.

conficcato con quattro chiodi ; e già stava nella sommità del ciborio fatto da Giovanni VII. in san Pietro . . . . . . vicino a tal Crocifisso vi è una lapide con lettere tali , che dimostrano il luoco , ove stava:

ANTIQVISSIMA . HAEC SANCTISS . CRVCIFIXI
IMAGO AEREA . QVAE IN SVMMITATE CIBORII
SACROSANCTI SVDARII . A . IOANNE PAPA VII
ANTE NONINGENTOS ANNOS IN SVO SACELLO
EXSTRVCTI COLLOCATA ERAT . IN DEMOLITIONE
SVB PAVLO . V . PONT . MAX . VETERIS TEMPLI
PIE SERVATA HIC . POSITA . EST
ANNO DOMINI M . DC . VI.

Neque vero ea tantummodo pyramis, sed illa quoque ornamenta iuxta ipsam posita , quae a Dionysio in tabula LXXXI. exhibentur , in praedicto Ioannis VII. sacello fuerunt.

AD LITTERAM Y. *Append. tab. II. , IV. ,* et *XLII.*

Altare istud , quod *apostolorum altare* vulgo adpellatur, post sacram confessionem est situm , et gradibus pontificalis altaris subest , quod in superiori basilica supra ipsam confessionem exstructum est. De hoc in praefatione sui operis pag. XVI. haec habet Dionysius. = „ Sed his *(scilicet sacellis tribus, quae circa confessionem sunt meridiem versus)* perquam longe praestat sacellum et altare subterraneum *sacrae confessionis beati Petri* vocatum , et ob eius cineres sub ara ipsa reconditos fidelium totius christiani orbis frequentia et pietate celebratum ; quod quidem altare cum ex temporum diuturnitate fatisceret , summus pontifex Callistus II. instauravit consecravitque anno domini MCXXII. , die festo recurrente annunciationis Deiparae , cuius rei memoria litteris tradita est a Petro Mallio prope finem libri sui de sancti Petri basilica , et in prisco vaticano martyrologio VIII. kal. aprilis adnotata in hunc modum legitur : *consecratio altaris maioris basilicae beati Petri facta a Callixto papa II. cum universo concilio anno eius V., indictione I.* „ = In quo quidem valde Dionysius fallitur , dum subterraneum istud altare D. (vide in tab. Appendicis II. orthographiam cryptarum num. I.) cum maiori basilicae veteris altari E. confundit , quod a Callisto II. instauratum et consecratum fuit. Vt enim supra ad litteram F. pag. 21. animadversum est, presbyterii pavimentum altius olim adsurgebat, quam reliquae basilicae pavimentum NO (vide in tab. II. Append. num. I.) , et ad beati Petri sepulcrum duplex erectum erat altare, alterum superne E. in media presbyterii ipsius fronte ; alterum vero D. inferne prioris illius gradibus subiectum. Ex quibus, presbyterii quidem altare E. undique conspicuum erat, (*) ac marmoreo tabernaculo quatuor porphyreticis columnis suffulto cooperiebatur (vide tabulam Appendicis IV.) ; hoc autem D. , de quo nunc sermo est , subterraneum erat , eo quod in hypogeo presbyterii post sacram confessionem C. situm esset , neque aditus ad illud pateret , nisi per cryptoporticum subselliis cardinalium substructam , prout in Alpharani ichnographia num. 4. , 4. videre est. De presbyterii altari E. a Callisto II. instaurato et consecrato Petrus Mallius , et vaticanum martyrologium loquuntur ; de hoc vero subterraneo altari D. , et de oratorio , quod presbyterio suberat , ut de ceteris sileamus , luculenta exstant Alpharani testimonia. Nam et in ichnographica tabula numeris 10. , et 11. ostiola designavit , per quae in presbyterii hypogeum aditus patebat , et in manuscripto libro fusius ad utrumque numerum haec habet:

(*) De superiori hoc altari E. , nec non de eius ciborio a Pio II. incoepto , vide quae superius ad num. 37. pag. 31. ex Panvinio retulimus.

„ Num. 10. *Infra praedictum altare (*nempe *de ossibus apostolorum) et altare maius, erat, quod adhuc superest, ostiolum, per quod ad* oratorium situm post confessionem sub altari maiori *circumcirca absidem patebat accessus.* „

„ Num. 11. *A dextero vero dicti altaris maioris latere ad meridiem, ostiolum simile praedicto, quod adhuc superest, ex quo ex huiusmodi loco patebat exitus.* „ Et rursus in schedis pag. 34. ita clarius haec indicat. „ *Di sotto al detto altare maggiore vi è un* altro altare , *dove ogni prete può celebrare messa , non havendo facultà di celebrare di supra* l'altare maggiore, *se non il summo pontefice , o vero alcun reverendissimo cardinale in presentia del summo pontefice con licentia del pontefice . . . . . per intorno a questa absida della parte subterranea se va a questo altare.* „ Quare nemini amplius dubium in posterum esse poterit, quin subterraneum istud altare D. , quod post sacram confessionem est exstructum , longe diversum sit a maiori veteris basilicae altari E. , quod in medio presbyterio supra ipsam confessionem erat situm. Qood vero Dionysius subdit, id rei veritatem magis magisque confirmat: inquit enim „ *in eiusdem altaris mensa exstat sigillum crate ferrea munitum cum sanctorum reliquiis, et in lateribus impressae sunt quinque cruces.* „ Nemo autem ignorat sanctorum reliquias tunc sob altarium mensis conlocari solitas, cum nulla sub ipsis altaribus vel martyrum vel confessorum corpora sita siut : atque idcirco sob maiori novae basilicae altari E. a Clemente vnI. exstructo et consecrato nullas prorsus esse reliquias, quod supra sacram confessionem C. situm sit, ubi apostolorum principis corpus conditur. (1) Si ergo sub altari subterraneo D. *reliquiae sanctorum sigillo obsignatae* reconduntur , longe diversum id est a maiori basilicae altari E., quod supra beati Petri corpus exstructum tanta cum religione semper cultum fuit, ut nonnisi summus pontifex missarum sollemnia super illo celebrare soleat.

Tabula, quae altare ornat , pictas apostolorum Petri ac Pauli imagines habet, de quibus ita Turrigius pag. 51. „ *All' altare vi sono due antichissime tavole lunghe, ove sono dipinti questi due santi apostoli.* „ Eas in tabula Appendicis XLII. diligentissime delineatas exhibemus; verum longe recentiores, quam Turrigius autumat, iudicamus, tum ex ipso operis artificio, quod attente saepius inspeximus, tum ex additis circa utriusque apostoli caput titulis, qui litterarum formam saeculo maxime XIII. ac XIV. usitatam prae se ferunt.

Dimidia tabulae huius inferior pars argenteis duabus laminis , qoae valvarum in modum adapertiles sunt, operitur; ac proinde dimidiatae tantum apostolorum imagines adparent , quas tamen integras in tabula XLII. delineandas curavimus. Argenteus huiuscemodi ornatus a quonam et quaodo tabulae additus fuerit, sequeos in ipso incisa epigraphe docet:

EX AERE STEPHANI VAII EPISC . CIRENENSIS CANONICI ANNO IVBILEI MDCL .

AD LITTER. Z., Z., Z., Z.

Cum istarum qnatuor pilarum iacerentur fondamenta , egesta terra , christianorum quorumdam corpora in sarcophagis condita reperta fuisse ita narrat Severanus (2). „ *In fare i fondamenti per le basi di dette colonne si sono trovati parimente altri corpi in varii pili , senza nome , vestiti parimente e ligati in croce . . . . . i quali con la terra istessa ivi cavata sono stati riposti in luogo decente appresso alla medesima confessione.* „

(1) Ita quoque in templo, quod Asisii divo Francisco dicatum est, sub maiori altari nullae omnino repertae fuerunt sanctorum reliquiae, eo quod supra ipsum beati Francisci sepulcrum altare exstructum esset. Vide clarissimi viri Caroli Feae librum, cui titulus *Descrizione della basilica di s. Francesco d'Assisi* praefat. pag. VIII. num. 18.

(2) Memorie sacre delle sette chiese di Roma, parte I. pag. 121.

NB. Dionysius quasi mantissae loco duas operi suo tabulas adiecit, LXXXII. scilicet atque LXXXIII., in quibus Probi Anicii et Probae Faltoniae eius coniugis sarcophagum aere incisum edidit. Quanam de caussa hoc ab eo factum sit ignoramus; id tantum certo scimus, nullo unquam tempore in vaticanis cryptis Probi sarcophagum exstitisse: ex quo enim Nicolaus papa v. novae basilicae aedificandae gratia Probi mausoleum a fundamentis disiecit (1), in vaticanum templum sarcophagus inlatus fuit, etsi non eodem semper in loco permanserit. Nunc in parvo quodam sacello conspicitur prope *portam sanctam* situ, quod *sacrae columnae sacellum* adpellari solet, quia columna illa ibi adservatur, cui Christus innixus traditur, dum populum in hierosolymitano templo doceret. (Vide quae ad numerum 101. pag. 61. adnotantur.) Hunc autem Probi sarcophagum, praeter Dionysium et Batellium, qui peculiari dignum commentario existimavit, inlustrarunt Bosius (2), Aringhius (3), et Bottarius (4), cui tamen nulla prorsus est habenda fides, dum pag. 55. tradit fuisse aliquando translatum in oratorium divi Thomae in Parione, ut ibi fontis baptismalis usui inserviret; unde postea Pauli v. iussu in vaticanam basilicam fuerit relatus. „ *Quest' arca stette nell' oratorio di san Tommaso in Parione per uso del fonte battesimale fino ai tempi di Paolo v., il quale rifacendo il detto oratorio la fece riportare in san Pietro nella prima cappella a sinistra per l'uso medesimo.* „ Mire in hoc vir clarissimus hallucinatur, quippe qui antiquam divi Thomae in Parione ecclesiam in cognomine urbis regione sitam confundit cum *sacello, sive oratorio*, sancti Thomae apostoli, quod in vaticana basilica Symmachus papa exstruxit, et a Paulo v. ampliandi templi caussa solo aequatum fuit. (5) Cuius oratorii situm Alpharanus in sua ichnographia littera *r* notatum ita designat. „ *Sacellum sancti Thomae apostoli a Symmacho papa.* „

Sciendum postremo est, vas illud marmoreum, quod in Dionysii tabula LXXXII. Probi sarcophago impositum cernitur, exstare etiam nunc in basilicae sacrario eo in cubiculo, in quo vitrea vascula missis celebrandis necessaria adservantur.

(1) Situm eius in Alpharani ichnographia littera *k.* designat.
(2) Roma sotterranea edit. anni 1632. pag. 47. et seqq.
(3) Roma subterranea, tom. 1. pag. 278. et seqq.
(4) Sculture e pitture sagre estratte dai cimiteri di Roma, tom. 1. pag. 53.
(5) Bottarii errorem Cancellierius quoque notat pag. 1313.

Quo facilius reperire quisque possit, quid a nobis de singulis huius Appendicis monumentis dicatur, praeter Indicem rerum sequentem quoque proponimus tabulam, in qua primo quidem loco tabulas Appendicis indicamus, in quibus monumenta ipsa aere incisa exhibentur; ex adverso autem numeros, et litteras adscribimus, quibus in nova cryptarum ichnographia ea monumenta notantur.

Tab. I.	—	——— pag. 1. ad 10.
Tab. II.	—	——— pag. 11.
Tab. III.	—	——— pag. 12.
Tab. IV.	—	Litt. F. pag. 20. ad 23.
Tab. V.	num. 1.	Nvm. 27. pag. 25. ad 29.
	num. 2.	Nvm. 68. pag. 38.
Tab. VI.	num. 1.	Nvm. 31. pag. 30.
	num. 2.	Nvm. 39. pag. 31., 32.
Tab. VII.	—	Nvm. 74. pag. 39. ad 41.
Tab. VIII.	num. 1.	Nvm. 75. pag. 42.
	num. 2.	Nvm. 81. pag. 52., 53.
Tab. IX.	num. 1.	Nvm. 77. pag. 41.
	num. 2.	Nvm. 82. pag. 50., 51.
	num. 3.	Nvm. 81. pag. 48. ad 50.
	num. 4.	Nvm. 87. pag. 4.
Tab. X.	num. 1.)	
	2.)	Nvm. 78. pag. 44. ad 47.
	3.)	
Tab. XI.	—	Nvm. 85. pag. 53. ad 55.
Tab. XII.	—	Nvm. 92. pag. 57.
Tab. XIII.	num. 1.	Nvm. 95. pag. 57., 58.
	num. 2.)	
	3.)	Nvm. 163. pag. 103.
	4.)	
Tab. XIV.	num. 1.	Nvm. 96. pag. 58.
	num. 2.	Nvm. 217. pag. 115.
	num. 3.	Nvm. 146. pag. 96., 97.
	num. 4.	Nvm. 119. pag. 5.
	num. 5.	Nvm. 175. pag. 107., 108.
Tab. XV.	—	Nvm. 99. pag. 58., 59.
Tab. XVI.	—	Nvm. 100. pag. 59., 60.
Tab. XVII.	num. 1.) 2.)	Nvm. 173. pag. 107.
	num. 3.	——— pag. 10.
	num. 4.	Nvm. 101. pag. 60., 61.
Tab. XVIII.	num. 1.)	
	2.)	
	3.)	
	4.)	
	5.)	pag. 10.
	6.)	
	7.)	
	8.)	
	9.)	
Tab. XIX.	num. 1.	Nvm. 112. pag. 67., 68.
	num. 2.	Nvm. 104. pag. 62.
Tab. XX.	—	Nvm. 105. pag. 62. ad 64.
Tab. XXI.	num. 1.	Nvm. 106. pag. 64., 65.
	num. 2.	Nvm. 110. pag. 66. not. 4.
	num. 3.	Nvm. 111. pag. 67.
	num. 4.	——— pag. 10.
	num. 5.	Nvm. 110. pag. 66.
Tab. XXII.	num. 1.	——— pag. 10.
	num. 2.	Nvm. 141. pag. 87.
	num. 3.	Nvm. 113. pag. 69.
Tab. XXIII.	num. 1.	Nvm. 121. pag. 74. ad 77.
	num. 2.	Nvm. 154. pag. 99.
	num. 3.	Nvm. 114. pag. 69., 70.
Tab. XXIV.	—	Nvm. 115. pag. 70., 71.
Tab. XXV.	num. 1.	Nvm. 141. pag. 91.
	num. 2.	Nvm. 142. pag. 87.
	num. 3.	Nvm. 116. pag. 71.
	num. 4.	Nvm. 117. pag. 71., 72.
	num. 5.) num. 6.)	pag. 10.
Tab. XXVI.	num. 1.	Nvm. 155. pag. 6.
	num. 2.) num. 3.)	pag. 10.
	num. 4.	Nvm. 120. pag. 72., 73.
	num. 5.	Nvm. 153. pag. 98., 99.
Tab. XXVII.	—	Nvm. 122. pag. 77., 78.
Tab. XXVIII.	—	Nvm. 121. pag. 79., 80.
Tab. XXIX.	—	Nvm. 125. pag. 80. ad 83.
Tab. XXX.	num. 1.	Nvm. 128. pag. 83.
	num. 2.	Nvm. 130. pag. 83.
Tab. XXXI.	num. 1.	Nvm. 189. pag. 109., 110.
	num. 2.	——— pag. 10.
	num. 3.	Nvm. 138. pag. 86.
Tab. XXXII.	—	Nvm. 143. pag. 87. ad 90.
Tab. XXXIII.	—	Nvm. 145. pag. 91. ad 96.
Tab. XXXIV.	num. 1.	Nvm. 164. pag. 103., 104.
	num. 2.	Nvm. 162. pag. 102.
Tab. XXXV.	num. 1.	Nvm. 6. pag. 16.
	num. 2.	Nvm. 168. pag. 105.
	num. 3.	Litt. P. pag. 106., 107.
	num. 4.	Nvm. 121. pag. 77. not. 2.
Tab. XXXVI.	num. 1.	——— pag. 10.
	num. 2.	Nvm. 170. pag. 106.
Tab. XXXVII.	num. 1.	Nvm. 198. pag. 113.
	num. 2.	Nvm. 178. pag. 108.
Tab. XXXVIII.	num. 1.	Nvm. 185. pag. 109.
	num. 2.	Nvm. 183. pag. 109.
	num. 3.	Nvm. 180. pag. 108.
	num. 4.	——— pag. 10.
	num. 5.	Nvm. 181. pag. 108.
	num. 6.	Nvm. 179. pag. 108.
Tab. XXXIX.	num. 1.	Nvm. 191. pag. 110.
	num. 2.	Nvm. 192. pag. 110.
Tab. XL.	—	Nvm. 193. pag. 111., 112.
Tab. XLI.	num. 1.	Nvm. 197. pag. 113.
	num. 2.	Nvm. 196. pag. 112., 113.
Tab. XLII.	—	Litt. Y. pag. 117. 118.

Ab huius operis instituto alienum profecto non erit metrica romanorum pontificum epitaphia, quae in vaticano membranaceo palatinae bibliothecae codice numero 833. notato, et in Petri Mallii opusculo de vaticana basilica exstant, heic servato temporum ordine subiicere, quemadmodum pagina 88. polliciti sumus, cum de Hadriani II. epitaphio a nobis restituto ad numerum 143. verba fecimus. Quamquam autem et a Grutero ad calcem Thesauri inscriptionum, et a Paulo de Angelis (1) ea seorsum edita fuerint, operam tamen a nobis in iis iterum edendis non frustra susceptam fatebitur, qui nostrum cum illorum apographo conferat.

I. Caelestini papae I.

Caelestinus papa I. sedit ab anno 422. *ad annum* 432. *annos IX., menses X., dies XX.*

PRAESVL APOSTOLICAE SEDIS VENERABILIS OMNI
QVEM REXIT POPVLO DECIMVM DVM CONDERET ANNV̄
CAELESTINVS AGENS VITAM MIGRAVIT IN ILLAM
DEBITA QVAE SC̄IS AETERNOS REDDIT HONORES.
CORPORIS HIC TVMVLVS REQVIESCVNT OSSA CINISQVE
NEC PERIT HINC ALIQVID DN̄O CARO CVNCTA RESVRGIT.
TERRENVM NVNC TERRA TEGIT MENS NESCIA MORTIS
VIVIT ET ASPECTV FRVITVR BENE CONSCIA CHRISTI.

Codicis palatini fol. 59. *b.* *Grut. pag. MCLXXI. num.* 5.

Ex annorum numero patet Caelestini I. epitaphium in his versibus haberi, quos palatinae sylloges auctor in vaticana basilica vidit ac descripsit: verum cum ex Anastasio (2) Caelestinum I. in coemeterio Priscillae via salaria sepultum constet, necesse est, ut fateamur eius ossa in vaticanam basilicam translata aliquando fuisse, ut una cum reliquis pontificibus prope apostolorum principis sepulcrum quiescerent.

II. Leonis papae I.

Leo I. cognomento magnus sedit ab anno 440. *ad annum* 461. *annos XXI., mensem unum, dies XIII.*

IN ALTARE SC̄I LEONIS PRIMI AP̄L (3)

HVIVS APOSTOLICI PRIMVM EST HIC CORPVS HVMATV̄
QVOD REOR (4) ET TVMVLO DIGNVS IN ARCE PETRI.
HINC VATVM PROCERVMQ. COHORS QVOS CERNIS ADESSE
MEMBRA SVB EGREGIA SVNT ADOPERTA DOMO.
SED DVDVM VT PASTOR MAGNVS LEO SEPTA GREGE̅Q.
X̄PICOLAM SERVANS IANITOR ARCIS ERAT
COMMONET ET TVMVLO QVID GESSERAT IPSE SVPSTES
INSIDIANS NE LVPVS VASTET OVILE DEI.
TESTANTVR MISSI PRO RECTO DOGMATE LIBRI
QVOS PIA CORDA COLVNT QVOS PRAVA TVRBA TIMET.

(1) Basilicae veteris vaticanae descriptio auctore Romano eiusdem basilicae canonico, cum notis Pauli de Angelis. Rom. 1646.
(2) Sect. LXII.
(3) *Apostolici* videlicet, quemadmodum romani pontifices de more adpellari consueverunt.
(4) Duplex epitaphii apographum in palatino codice exstat, quorum in altero heic legitur EORET, unde veram loci huius lectionem FORET Gruterus eruit.

RVGIIT ET PAVIDA STVPVERVNT CORDA FERARVM
PASTORISQ. SVI IVSSA SECVNTVR (*sic*) OVES.
HIC TAMEN EXTREMO IACVIT SVB MARMORE TEMPLI
QVAE IAM PONTIFICVM PLVRA SEPVLCHRA CELANT.
SERGIVS ANTISTES (1) DIVINO INPVLSVS AMORE
NVNC IN FRONTE SACRAE TRANSTVLIT INDE DOMVS
EXORNANS RVTILVM PRAETIOSO (*sic*) MARMORE TVBV (2)
IN QVO POSCENTES MIRA SVPERNA VIDENT.
ET QVIA PRAEMICVIT MIRIS VIRTVTIB. OLIM
VLTIMA PONTIFICIS GLORIA MAIOR ERIT.

Codicis palatini fol. 54. b., 55. a, atque iterum fol. 55. b. *Grut. pag. MCLXX. num. 4.*

De triplici translatinne corporis sancti Leonis magni pontificis videnda omninn sunt ea, quae Pagius tom. II. criticae in annales Baronii pag. 366. et seqq. habet. Epitaphium autem, quod non uno in loco adversus grammaticae canones in syllabarum quantitate peccat, Sergii papae I. aetate, saeculn videlicet septimn exeunte, fuisse confectum palam est ex nctavi distichi verbis, in quibns de translatinnis auctore Sergio fit mentio.

III. Anastasii papae II.

Anastasius papa II. ab anno 496. ad annum 498. sedit annum unum, menses XI., dies XXIV.

IIII. EPYT.

LIMINA NVNC SERVO TENVI QVI CVLMINA SEDIS
HIC MERVI TVMVLVM PSVL ANASTASIVS.
PRAESBYTERO (*sic*) GENITVS DELEGI DOGMATA VITAE
MILITIAEQ. DI NATVS IN OFFICIIS
PONTIFICVM CASTO FAMVLATVS PECTORE IVSSIS
OBTINVI MAGNVM NOMEN APOSTOLICVM.

Codicis palatini fol. 36. A. a. *Grut. pag. MCLXV. num. 7.*

Ad Anastasium I. pertinere epitaphinm Baronius, ac post eum Papebrochius putavit, (3) quem in *coemeterio suo ad ursum pileatum* sepultum fuisse Anastasius bibliothecarius disertis verbis in eius vita testatur. (4) Cum vero a nemine unquam memoriae proditum sit Anastasii I. corpus in vaticanam basilicam fuisse aliquando translatum; (5) luculentissimo autem Anastasii bibliothecarii testimonio constet Anastasium papam II. *in basilica beati Petri apostoli* sepultum, (6) Baronii ac Papebrochii sententiam in hoc a vero aberrare manifestum est, atque epitaphinm *secundo* Anastasio esse tribuendum.

(1) Anastasius in Sergii I. vita, sect. CLXIII. „ *Hic corpus beati Leonis probatissimi patris, atque pontificis, quod in abdito inferioris secretarii praedictae basilicae positum fuerat, facta diligentius tumba in denominata basilica publico loco, ut sibi fuerat revelatum, reposuit, ac locum ipsum ornavit.* „

(2) Sepulcrum a Sergio I. exstractum ita describitur in historia translatinnis corporis s. Leonis magni a bollandianis die XI. aprilis relata. „ Corpus s. Leonis magni conditum erat in capsa lignea, quae continebatur *intra nobilem et pulcram tumbam latam palmis 3. unciis 8., longam palmis 10. minus uncia, profundam palmis 5. cum sextante sxpolitis, et venatis marmoribus albis insigniter excultam*: In qua siquidem capsa ex uno ligno fabrefacta quiescebat corpus sanctissimi Leonis magni papae primi a Sergio I. recunditum. „

(3) Conatus chronico-historicus ad catalogum romanorum pontificum, part. I. pag. 61.

(4) Sect. LVI.

(5) Anastasii *primi* papae corpus e coemeterio ad ursum pileatum transtulit Sergius papa II. non ad vaticanam basilicam, sed ad ecclesiam sanctorum Silvestri ac Martini in Esquiliis, quemadmodum Biblinthecarius in Sergii II. vita narrat sect. CCCCXCI., quod et inscriptio in eadem ecclesia adhuc exstans confirmat.

(6) Sect. LXXV.

IV. Felicis papae IV.
Felix papa IV. ab anno 526. *ad annum* 530. *sedit annos IV., menses II., dies XIII.*

III. EPYT.

CERTA FIDES IVSTIS CAELESTIA REGNA PATERE
ANTISTES FELIX QVAE MODO LAETVS HABET.
PRAELATVS MVLTIS HVMILI PIETATE SVP BVS
PROMERVIT CELSVM SIMPLICITATE LOCVM.
PAVPERIBVS LARGVS MISERIS SOLACIA PRAESTANS
SEDIS APOSTOLICAE CRESCERE FECIT OPES.

Codicis palatini fol. 36. *b.* *Grut. pag. MCLXV. num.* 6.

Cum Felicem papam *primum*, perinde ac alterum eius nominis *secundum* via aurelia, secundo ab urbe milliario sepultos fuisse, *tertium* vero Felicem in beati Pauli basilica humatum constet ex Anastasio bibliothecario (1); sequitur hinc ad Felicem papam *quartum* hoc epitaphium omnino esse referendum, quem in vaticana basilica sepultum Anastasius in eius vita narrat.

V. Bonifacii papae II.
Bonifacius papa II. anno 530. *Felici IV. successit, et usque ad annum* 532. *sedit annos II., dies XXVI.*

II. ITEM BONIFATII.

SEDIS APOSTOLICAE PRIMEVIS (*sic*) MILIS (*sic*) AB ANNIS
POST ETIAM TOTO PRAESVL IN ORBE SACER
MEMBRA BEATA SENEX BONIFATIVS HIC SVA CLAVSIT
CERTVS IN ADVENTV GLORIFICANDA DI
MITIS ADVNAVIT DIVISVM PASTOR OVILE
VEXATOS REFOVENS HOSTE CADENTE GRECES.
IRAM SVPPLICIBVS HVMILI DE CORDE REMISIT
DEBELLANS CVNCTOS SIMPLICITATE DOLOS.
EGIT NE STERILIS ROMAM CONSVMERET ANNVS
NVNC ORANDO FVGANS NVNC MISERANDO FAMEM.
QVIS TE SCE PARENS CVM XPO NESCIAT ESSE
SPLENDIDA QVEM TECVM VITA FVISSE PROBAT.

Codicis palatini fol. 36. *a., b.* *Grut. pag. MCLXV. num.* 5.

Fragmentum illud postremi distichi, quod e pavimento cryptarum nostra cura nuper sublatum fuit, atque in huius Appendicis tabula XXVIII. in aes incisum exhibetur, cum insuper annos ac dies habeat adscriptos, quibus Bonifacius in romana cathedra sedit, epitaphium *secundo* Bonifacio tribuendum esse demonstrat. Quod Mabillonius etiam iampridem animadverterat, cum in vitooiano codice chronologicam clausulam huic epitaphio subiectam invenisset, quae anno vulgaris aerae 532. obiisse Bonifacium docet. (2) Cuius clausulae auctoritate motus Papebrochius *secundi* Bonifacii epitaphium in hoc epigrammate haberi ultro fatetur, (3)

(1) Sect. XXVII., LIII., et LXXIII.
(2) Clausula isthaec ita primum a Mabillonio fuit edita in tomo III. veterum Analectorum pag. 431. *Sedit annos III., dies XXVI. Depositus in pace XVI. kalend. novemb. imper. proconsul. Lampadio et Oreste viris clarissimis.* Cui statim subdit. „ *Haec anno* 532. *conveniunt, quo Bonifacius II. obiit, qui annus erat secundus post consulatum Lampadii et Orestis.* „
(3) Paralipomena ad conatum in catalogos pontificum, penes bollandianos tom. VII. mensis maii pag. 49.

ac suam ipse opinionem damnat, qua Baronium sequutus (1) *primo* Bonifacio epitaphium antea tribuerat. (2) Ceterum ex primis clausulae verbis, quae in nostro fragmento adhuc supersunt, potest iure meritoque a Pagio (3) codicis vitoniani scriptorem oscitantiae argui, quippe qui *tres* pontificatus annos Bonifacio tribuerit contra manifestum epitaphii testimonium. Integram autem clausulae textum, quam palatinae sylloges auctor de more omisit, ita in marmore unica linea fuisse exaratum putamus

SED.ANN.II.DIES.XXVI.DEP.IN.PACE.XVI.KL.NOV.ITER.POST CONS.LAMPADII.ET.ORESTIS.VV.CC.

VI. Ioannis papae II.

Ioannes papa II. ab anno 532. *ad annum* 535. *sedit annos II., menses IV., dies XXV.*

XIII. EPYT.

IOHANNEM TVMVLVS VATEM TEGIT ASTRVAT AETAS
OPTIMA COEPTA VIRI SI EORET (4) ET SPATIVM.
HIC ET IN EXTREMIS SOLLERS EIDVSQ. (*sic*) MINISTER
CLARVIT ET PRIMVS IVRE LEVITA FVIT.
MISSVS AD IMPERIVM VICE PRESVLIS (*sic*) EXTITIT AVCTOR
HVNC MEMORANT SYNODVS PONTIFICISQ. TOMVS.
CVM TITVLIS FIDEI VIGILANTIA QVANTA REGENDI
COMMISSAS ANIMAS NE LVPVS HOSTIS OVES
CARPERET AMMIXTVS PMERETVE POTENTI (*sic*) OPIMV
IVSTITIAM CVNCTOS NISVS HABERE PAREM.
PROVIDVS HVMANVS FIRMVS VERVSQ. SACERDOS
NIL TEMERE ATQ. NIMIS PONDERE CVNCTA GERENS.

Codicis palatini fol. 40. *a., b.* *Grut. pag. MCLXVI. num.* 5.

Ioannis papae II. epitaphium in his versibus Petrus quoque Mallius agnovit, penes quem hunc in modum in vaticano codice 3627. fol. 7., 8. legitur:

Hic tumulus vatis conservat membra Ioannis,
Ordine pontificum qui fertur iure secundus.
Licet (sic) *in extremis solers fidusque minister*
Claruit, et primus iure levita fuit.
Missus ad imperium vice praesulis extitit auctor,
Hunc memorant synodus pontificisque tomus.
Cum titulis fidei vigilantia quanta regendi,
Commissas animas ne lupus hostis oves
Carperet amixtus, premeretve potentior, unam
Iustitiam cunctos nixus habere parem.
Providus, humanis (sic), *summus verusque sacerdos,*
Nil temere atque nimis pondere cuncta gerens.

Vides primum epitaphii distichon, quod palatinus codex nobis servavit, in hoc Petri Mallii apographo desiderari, atque eius loco duos adscribi hexametros, quos tituli instar epitaphio additos subsecutis tem-

(1) Bina epitaphia *primo* Bonifacio Baronius tribuit, quorum neutrum ad eum pontificem pertinere deprehenditur: illud enim, de quo nunc agimus, ad *secundum* Bonifacium spectat; alterum vero, de quo infra, ad Bonifacium *tertium* omnino esse referendum ex subiecta chronologica nota evincitur.

(2) Conatus chronico-historicus ad catalogum romanorum pontificum, penes bollandianos tom. VI. mensis maii part. I. pag. 77.

(3) Critica in annales Baronii, tom. II. pag. 545.

(4) Tum in hoc, tum in sequenti versu codex pro F. habet E. in verbis FORET, FIDVS. Cum autem idem vitium in Leonis magni epitaphio in eodem verbo FORET occurrat (vide pag. 121. not. 4.) suspicamur huiusmodi menda in ipsis marmoribus ob quadratarii oscitantiam olim exstitisse: atque anonymum palatinae sylloges auctorem voluisse de industria vitiosam lapidis scripturam fideliter in suo apographo repraesentare.

poribus suspicamur. (1) Tertii perinde ac penultimi versus sphalmata in Mallii apographo in vocibus *licet*, atque *humanis* recta palatini codicis scriptura emendantur: nono tamen in versu locus in palatino codice corruptus, et parum feliciter a Grutero emendatus, ex Petri Mallii apographo sanatur, cui veram ac genuinam eius loci lectionem debemus. (2)

VII. Pelagii papae I.

Sedit Pelagius papa I. ab anno 555. *ad annum* 560. *annos IV., menses X., dies XVIII.*

TERRENVM CORPVS CLAVDANT HAEC FORTE SEPVLCHRA
NIL SANCTI MERITIS DEROGATVRA VIRI.
VIVIT IN ARCE POLI COELESTI LVCE BEATVS
VIVIT ET HIC CVNCTIS PER PIA FACTA LOCIS.
SVRGERE IVDICIO CERTVS DEXTRAMQVE TENENTEM
ANGELICA PARTEM SE RAPIENTE MANV.
VIRTVTVM NVMERET TITVLOS ECCLESIA DEI
QVOS VENTVRA VT (*) SECVLA FERRE QVEANT. (*) *nempe* velut.
RECTOR APOSTOLICAE FIDEI VENERANDA RETEXIT
DOGMATA QVAE CLARI CONSTITVERE PATRES.
ELOQVIO CVRANS ERRORVM SCISMATE (*sic*) LAPSOS
VT VERAM TENEANT CORDA PLACATA FIDEM.
SACRAVIT MVLTOS DIVINA LEGE MINISTROS
NIL PRETIO FACIENS IMMACVLATA MANVS.
CAPTIVOS REDIMENS MISERIS SVCCVRRERE PROMPTVS
PAVPERIBVS NVNQVAM PARTA NEGARE SIBI.
TRISTIA PARTICIPANS LAETI MODERATOR OPIMVS
ALTERIVS GEMITVS CREDIDIT ESSE SVOS.

HIC REQVIESCIT PELAGIVS PP. Q. SEDIT ANNOS IIII . M . X . DIES XVIII. DEPOS IIII . NONAS MARTII

Ex Petri Mallii opusculo. Codicis vaticani 3627. *fol.* 8.

VIII. Gregorii papae I.

Gregorius papa I. cognomento magnus *ab anno* 590. *ad annum* 604. *sedit annos XIII., menses VI., dies* X.

SVSCIPE TERRA TVO CORPVS DE CORPORE SVMPTVM
REDDERE QVOD VALEAS VIVIFICANTE DEO.
SPIRITVS ASTRA PETIT LOETI (*sic*) NIL IVRA NOCEBVNT
CVI VITAE ALTERIVS MORS MAGIS IPSA VIA EST.
PONTIFICIS SVMMI HOC CLAVDVNTVR MEMBRA SEPVLCHRO
QVI INNVMERIS SEMPER VIVIT VBIQVE BONIS.
ESVRIEM DAPIBVS SVPERAVIT FRIGORA VESTE
ATQVE ANIMAS MONITIS TEXIT AB HOSTE SACRIS.
IMPLEBATQVE ACTV QVICQVID SERMONE DOCEBAT
ESSET VT EXEMPLVM MYSTICA VERBA LOQVENS.

(1) Versus, a quibus in Mallii codice epitaphium incipit, nihil aliud profecto sunt, nisi titulus posteriori aetate sepulcro inscriptus ad significandum quotus in serie pontificum Ioannes fuisset; quod vel ex ipso carminis diverso genere fit manifestum.

(2) De altero epitaphio, quod Baronius et Papebrochius huic pontifici tribuunt, vide quae infra dicentur, cum de Marino II. erit sermo.

AD CHRISTVM ANGLOS CONVERTIT PIETATE MAGISTRA
ADQVIRENS FIDEI AGMINA GENTE NOVA.
HIC LABOR HOC STVDIVM HAEC TIBI CVRA HOC PASTOR AGEBAS
VT DOMINO OFFERRES PLVRIMA LVCRA GREGIS.
HISQVE DEI CONSVL FACTVS LAETARE TRIVMPHIS
NAM MERCEDEM OPERVM IAM SINE FINE TENES.

HIC REQVIESCIT GG . I . PP . QVI SEDIT ANOS . XIII . MENSES . VI . DIES . X . DEPOSITVS . IIII . IDVS MAR.

Codicis palatini fol. 73. b., et fol. 74. a. *Grut. pag. MCLXXV. uum.* 1.

Ex Petri Mallii opusculo fol. 9. desumpta sunt, quae ad calcem epigrammatis adiiciuntur de annorum ac mensium numero, quibus Gregorius magnus in romana cathedra sedit: palatinae namque sylloges auctor, uti supra a nobis animadversum est, carmina tantommodo adnotasse contentus, (quae suum in librum de memoria fortasse retulit) cetera omnia quasi parvi momenti esseot, neglexit.

IX. Sabiniani papae.

VI. EPYT.

Sedit Sabinianus papa ab anno 604. *ad* annum 605. *annum unum, menses V., dies IX.*

SAEVA VORAX NIL POSSE TVAS MORS ASPICE VIRES
VIVIT IN AETERNVM QVEM PEREMISSE PVTAS.
NAM BONA DISTRIBVENS QVI NIL MIGRANDO RELINQVIT
PER TE POST MISSAS IRE VIDETVR OPES.
HIC PRIMAM SVBITAM (*sic*) NON SVMPSIT LAVDE CORONAM
SED GRADIBVS MERVIT CRESCERE SCS HOMO.
ATQVE HOMINVM VITIVM BLANDO SERMONE REMOVIT
NEC IVDEX CVLPIS SED MEDICINA FVIT.
PRAESVLE QVO NVLLVM TVRBAVIT BELLICVS HORROR
SAEVA NEC ANGELICI VVLNERIS IRA FVIT.
QVEM FAMIS IRA DAPES QVEM NVDVS SENSIT AMICTVM
VINCEBAT LACRIMIS OMNIA DIRA SVIS.

Codicis palatini fol. 36. A. b. *Grut. pag. MCLXV. uum.* 9.

Mirandum profecto est neque a Baronio primum, neque a Papebrochio at Pagio deinde fuisse animadversum Sabiniani papae elogium hoc in carmine haberi, quod ex his Petri Mallii verbis manifesto colligitor. (1) „ *Sabinianus papa I. Sub huius tempore fuit fames gravis in civitate romana; sed facta pace cum gente longobardorum* iussit aperiri horrea ecclesiae, et venumdari frumentom populo per unum solidom triginta modios tritici. *Cuius epitaphium est istud*

Hic hominum vitia blanda sermone removit,
Nec culpis iudex, sed medicina fuit

misericordiae enim visceribus ultra quam dici possit affluebat, et quantum in se nul'um a beneficio misericordiae excludebat. „ Manifestom est Petrum Mallium de industria non omnes elogii versus in suo opusculo retulisse, verum eos dumtaxat, quibus praecipue Sabiniani laus continebatur. Toto illo temporis tractu, quo Sabinianus sedit, pacem romanos inter et longobardos durasse, pactis inter utrosque induciis, ex Pauli diaconi historia novimus (2), idque ipsum epitaphii verba confirmant

Praesule quo nullum turbavit bellicus horror,
Saeva nec angelici vulneris ira fuit:

ex quibus etiam docemur pestilentiam, quae sub magno Gregorio in urbe ac per totam Italiam grassata fuerat, cessasse omnino sedente Sabiniano. Quem in summa annonae caritate esurienti romanae plebi subvenisse, et fru-

(1) Cod. vat. 3627. fol. 10.

(2) „ *Sequenti denique mense novembrio* (anni 605.) *rex Agilulfus pacem fecit cum Smaragdo patricio in annum unum, accipiens a romanis* XII. *millia solidorum . . . . dehinc Agilulfus rex iterum fecit pacem cum romanis tribus annis.* „ Paulus diaconus de gestis longobardorum lib. IV. cap. XXXIII.

mentam pretio vilissimo, (1) patefactis ecclesiae horreis, vendidisse Anastasius tradit (sect. CXIV.): neque ab eo discrepat elogium, cuius secundum ac postremum distichon ad ea referendum nobis videtur. Vade etiam patet, quam parum fidei habendum sit Sigeberto, qui ridiculam, atque anilem prorsus de Sabiniani tenacitate fabulam vulgi sermone suo aevo celebratam, in chronico memoriae mandavit. Huic etiam epitaphio de more adiectam ad calcem fuisse chronologicam clausulam non dubitamus, cuius fragmentum supra ad numerum 154. pagina 99. retulimus, ubi ita illam ex coniectura restituere tentavimus

SEDIT . BEATAE . MEMORIAE . SABINIANVS . PAPA . AN . I . MENSES . V . DIES . VIIII .
OBIIT . VIII . KAL . MART . POST CONSVLATVM . FOCAE AVG . III .

X. Bonifacii papae III.

Sedit Bonifacius papa III. anno vulgaris aerae 607. menses VIII., dies XXII.

EPYT̄ BONIFATII P̄AP

I. POSTQVAM MORS X̄P̄I PRO NOBIS MORTE PERISTI
IN D̄N̄I FAMVLOS NIL TIBI IVRIS ERIT.
PONE TRVCEM RABIEM NON EST SAEVIRE POTESTAS
AVT QVID VICTA FVRIS NIL NOCITVRA PIIS.
HOC SIQVIDEM MELIVS DEMISSO (*sic*) VIVITVR ORBE
CVM TAMEN VT VIVAT HIC SIBI QVISQVE FACIT.
HOC SITA SVNT PAPAE BONIFACII MEMBRA SEPVLCHRO
PONTIFICALE SACRVM QVI BENE GESSIT OPVS.
IVSTITIAE CVSTOS RECTVS PATIENSQ. BENIGNVS
CVLTVS IN ELOQVIIS ET PIETATE PLACENS.
FLETE ERGO MECVM PASTORIS FVNERA CVNTI (*sic*)
QVOS TAEDET CITIVS HIS CARVISSE BONIS.

Codicis palatini fol. 36. a. *Grut. pag.* MCLXV. *num.* 4.

Etsi titulus epigrammati adscriptus *Bonifacii* tantummodo nomen prae se ferat, neque praeterea quidquam in eo adnotetur, unde cognosci possit ad quemnam Bonifacium in serie pontificum carmina sint referenda; Baronius tamen Bonifacii papae I. epitaphium in iis agnoscere maluit. Verum cum Anastasius Bonifacium I. non in vaticano, sed in sanctae Felicitatis martyris coemeterio via salaria sepultum fuisse tradat; (2) persuasum nobis est epitaphium ad Bonifacium papam III. pertinere. Quemadmodum enim idem Anastasius Bonifacium II., III., IV, et V. *ad beatum Petrum apostolum* sepultos fuisse memoriae prodidit (3), ita et in palatino codice *quatuor* inveniuntur ab anonymo descripta epitaphia *Bonifacii* nomen prae se ferentia, quorum tria cum ad II., IV., et V. Bonifacium pertineant, reliquum est, ut *quartum* ex iis nonnisi ad III. Bonifacium referri debeat. Quod postrema etiam epigrammatis verba confirmant

Flete ergo mecum pastoris funera cuncti,
Quos taedet citius his caruisse bonis:

quae *citius*, quam omnium vota ferrent, ereptum vivis pontificem innuunt, utpote qui brevissimo mensium VIII., ac dierum XXII. spatio sedisset. Verba praeterea, quae huiusce epitaphii versibus subiecta legebantur olim in marmore, at ab anonymo auctore palatinae sylloges fuerunt omissa, rem extra omnem controversiam ponunt. Edita sunt e Mabillonio ex virdunensis coenobii sancti Vitoni manuscripto codice, in quo Eusebii historia continetur, et post Damasi versus quaedam epitaphia sub hoc titulo referuntur. „ *Ista epitaphia inventa sunt in ecclesia sancti Petri.* „ En ipsum Mabillonii locum ex tomo III. veterum Analectorum pag. 431. „ *In eodem codice vitoniano alia duo epitaphia leguntur, nempe duplicis Bonifacii papae, sed ita exesa ac mutila, ut vix quidquam sani inde elici possit. In fine prioris haec subduntur:* Hic requievit Bonefatius, qui sedit menses III., dies XXXII. depositus pridie idus novembris imperante domno

(1) *Modius* tritici libras XX. capit; *solidus* autem uncias argenti duas, atque insuper decimas unciae partes quatuor aequat. Triginta igitur modii, sive sexcentae tritici librae, duabus argenti unciis ac fere dimidia vendebantur; quod in annonae praesertim caritate vilissimum pretium nemo non fatebitur. Vide Baldini notas ad Sabiniani vitam, tom. IV. Anastasii bibliothecarii pag. 11., et 12.

(2) Sect. LXI.

(3) Sect. XCII., CXV., CXVI., et CXVIII.

pp. aug. anno III. indict. XI. *Quod de Bonifacio III. intelligendum, qui proinde pervenerit ad annum* 608. (1), *quo indictio XI. obtinebat.* „ Accuratius clausulae huius chronologicae apographum misit deinde Mabillonius Danieli Papebrochio, qui in suis Paralipomenis ad conatum in catalogos pontificum (2) Bonifacio III. epitaphium omnino tribuendum, clausulae istius auctoritati innixus, ita pronunciat. „ *Cur autem nihil dubitandum hic putem, facit antiquissimus codex vitonianus, supra in Bonifacio II. laudatus, unde idem ipsum epitaphium mihi misit Mabilio, cum hac in fine chronica clausula*: Hic requievit Bonefatius, qui sedit menses VII. dies XXXII. (*ubi forte legendum* requiescit; *in diebus autem manifeste abundat denarius, alias enim notati fuissent menses VIII., dies II.*) depositus prid. idus novemb. Imperante domno Foca PP aug. (*ubi* PP *interpretor* perpetuo (3), *nisi malis* piissimo *legere*) anno VI., indict. XI. *Annus autem Focae sextus ad finem decurrens, et indictio XI. inchoata ante bimestre, notant annum vulgarem a nobis signatum* 607. „

XI. Bonifacii papae IV.

Bonifacius papa IV. ab anno 608. *ad annum* 615. *sedit annos VI., menses VIII., dies XII.*

VIIII. EPYT. BONIFATII IVNIORIS.

VITA HOMINVM BREVIS EST CERTA HANC DETERMINAT ORA (*sic*)
SED VITAE AETERNAE INDE PARATVR ITER.
QVOD NON INDECORA AVT RVRSVM PERITVRA VIDENTVR
SED PVLCRVM ATQ. DECENS IAM SINE FINE MANET.
DIC IGITVR QVID MORS STIMVLIS AGITARIS INIQVIS
QVID FREMIS INCASSVM QVID FVRIBVNDA GERIS.
COMMODA NVLLA TIBI POTERVNT TVA FACTA REFERRE
NEC PRODESSE POTEST IMPETVS ISTE TIBI.
GREGORII SEMP MONITA ATQVE EXEMPLA MAGISTRI
VITA OPERE AC DIGNIS MORIBVS ISTE SEQVENS.
QVO HVNC TERRERE PVTAS SVNT HVIVS MAXIMA VOTA
MITTERE AD ASTRA ANIMAM REDDERE CORPVS HVMO.
SAVCIA MVLTIPLICIS (*sic*) QVIDEM NĀ MEMBRA DOLORE
RVRSVS IN ANTIQVO PVLVERE VERSA MANENT.
QVAE CONIVNCTA ANIMAE STABILITO IN CORPORE SVRGVNT
AD VITĀ AETERNĀ TE PEREVNTE MAGIS.
SCĀ FIDES MERITO VITAE CLEMENTIA PATRIS
SPEM CERTAM HANC FAMVLOS IVSSIT HABERE SVOS.

Codicis palatini fol. 38. *a., b.* *Grut. pag.* MCLXVI. *num.* 1.

Quae in palatino codice ad calcem epitaphii desiderantur, ea Petri Mallii opusculum hunc in modum folio 9. vaticani laudati codicis exhibet:

HIC REQVIESCIT BONIFATIVS IVNIOR QVI SEDIT ANNOS . VI . MENSES . VIII . DIES . XII . DEPOSITVS OCT . IDVS MAII . IMPERANTE DÑO ERACLEO (*sic*) AÑ . EIVS . SECVNDO .

XII. Deusdedit.

Bonifacio papae IV. successit Deusdedit, qui ab anno 615. *ad annum* 618. *sedit annos III., dies XX.*

VII. EPYT.

CVR TITVLATA DIV TORPVERVNT IVRA SEPVLCHRI
ET POPVLI NVLLVS PERSTREPVIT GEMITVS.

(1) Fallitur in hoc Mabillonius, neque animadvertit graecam indictionem fuisse in epitaphio adhibitam, quae a kalendis septembribus anni 607., quo Bonifacius obiit, *undecima* numerabatur.

(2) Paralipomena ad conatum in catalogos pontificum, penes bollandianos, tom. VII. mensis maii pag. 55.

(3) Focas imperator in numis quoque, ut heic, *perpetuus augustus* adpellatur.

SEGNITIES NON CVLPA FVIT QVICVMQ. REQVIRIS
NAM DOLOR INCLAVSVS PLVS LACERARE SOLET.

PANDE DOLOR GEMITV̄ MERITISQ. QVIESCE BEATIS
VT LIBEAT SVMMI GESTA REFERRE PATRIS.

HIC VIR AB EXORTV PETRI EST NVTRITVS OVILI
SED MERVIT SC̄I PASTOR ADESSE GREGIS.

PVRA FIDES HOMINIS VOTIS FVNDATA BENIGNIS
EXCVVIANS X̄P̄I CANTIBVS HYMNISONIS.

SIMPLICITAS SAPIENS VIVAX SOLLERTIA SIMPLEX
SERPENTINA FVIT SIMPLICITATE VIGENS.

CVMQVE QVATER DENOS COMPLERET PR̄B̄R̄ (*) ANNOS (*) *nempe* presbyter.
SERA SENECTVTIS MENS TAMEN ALMA FVIT.

CVLMEN APOSTOLICVM COLVIT TRES FERME Ꝑ ANNOS
PERFECTVM NVMERVM TERQ. QVATERQ. GERENS.

HOC TIBI PRO MERITIS SVCCESSOR HONORIVS AMPLIS
MARMORE CONSTRVXIT MVNVS EPYTAPHII. (*sic*)

Codicis palatini fol. 32. *a.*, *b.* *Grut. pag. MCLXV.* num. 10.

Pontificis quidem nomen, ad quem epitaphium spectat, neque in ipso epitaphio, neque in titulo illi praefixo adparet: sed cum Honorii *primi* antecessor fuisse, atque annos *ferme tres* sedisse dicatur, haec nonnisi uni Deusdedit convenire possunt; cuius memoriae, postquem *diu* tituli honore caruerat, Honorium I. inscripto istiusmodi epitaphio consuluisse postrema epigrammatis verba declarant. Errasse igitur non modo Baronium patet, sed et Papebrochium ac Pagium, qui Baronii sententiam sequuti Bonifacio v. epitaphium tribuerunt; et sinceram ac minime dubiam codicis palatini lectionem in versu decimoquinto, quod suae opinioni adversaretur, nimia licentia (1) damnantes, annos *sex* legendum censuerunt. Neque anni dumtaxat pontificatus in epitaphio designantur, sed et quoto aetatis suae anno Deusdedit obierit, non obscure in eo indicatur, quemadmodum recte Pagius animadvertit. Isti enim versus

Cumque *quater denos* compleret presbyter annos
Sera senectutis mens tamen alma fuit.
Culmen apostolicum coluit *tres* ferme per annos
Perfectum numerum terque quaterque gerens.

non aliud profecto sibi volunt, nisi pontificem Deusdedit expletis iam *quadraginta presbyteratus* annis ad pontificalem dignitatem fuisse evectum: in qua cum triennii spatio permansisset, obiisse tandem annos natum *septuaginta* (2): unde etiam colligitur eum non male in epitaphio *senem* vocari, qui *septimum* ac *sexagesimum* agens annum pontifex renunciatus fuisset.

XIII. Bonifacii papae V.

Sedit Bonifacius papa V. ab anno 619. *ad annum* 625. *annos V.*, *menses X.*

X̄ EPȲT̄

DA MECVM GEMITVM SINGVLTI ROMA DOLORIS
PLENA SACERDOTIS LVCTIBVS EGREGII.

CVR Q̄M̄ (*) DEFLERE SOLET MENS ARTA (*sic*) PERICLIS (*) *nempe* quoniam.
PLEBSQ. ORBATA PIIS INSVPER OFFICIIS.

(1) Quam iuste a nobis haec dicantur, argumento sint ea, quae Pagius (*Critica in annales Baronii tom.* II. *pag.* 772.) habet de voce *titulata*, quae in primo epitaphii versu occurrit. Postquam enim suam in margine adscripsit emendationem „ legendum *protelata* „ haec subdit. „ Vox *titulata* nullum sensum hoc in loco praefert, quod et Papebrochius vidit, qui in margine ait: an *dilata* ? „ Atqui omnia in carmine sibi recta constant, in quo *titulata iura sepulcri diu torpuisse* poeta pro saeculi sui more atque ingenio ἐμφατικῶς dixit, ut innueret *diu tituli honore*, qui *iure* ipsi debebatur, defunctum pontificem caruisse.

(2) Cum *denarius* numerus perfectus vulgo habeatur, epigrammatis sensus est, eum numerum *ter* et *quater* a pontifice Deusdedit *expletum*; ideoque *septuagesimo* suae aetatis anno eum decessisse.

HIC VIR INACCESSIS TENVIT CONTRARIA FACTIS
HAEC DOCVMENTA BONIS MORIBVS APTA SVIS.

MITIS IN ADVERSIS POSITVS REBVSQ. SECVNDIS
OMNIA GRATA FERENS ALTERA P̄SSA (*) TENENS. (*) nempe pressa.

PRAEVENIT NE NATA FORENT DELICTA VIRITIM
ORTA TAMEN SECVIT CVM PIETATE GRAVI.

IN COMMVNE BONVS BONIFATIVS INDE VOCATVS
PROPRIA LVCRA PVTANS PVBLICA SVBSIDIA.

MVNIFICVS SAPIENS CASTVS SINCERVS ET AEQVVS
ISTA BEATORVM SVNT PIA SVFFRAGIA.

NAM VIDVALIS APEX PVPILLORVMQ. FALANGES
CAECORVMQ. CHORVS DVX TIBI LVCIS ERIT.

INFREMVIT POST FATA SVIS MORS SAVTIA (sic) TELIS
RESPICIENS MERITVM VIVERE POSSE VIRVM.

CVLMEN APOSTOLICVM QVINQ. ET BIS MENSIBVS ANNIS
REXIT ET AD MAGNI CVLMEN HONORIS ABIT.

Codicis palatini fol. 38. *b.*, 39. *a.* *Grut. pag. MCLXVI. num.* 2.

Ad Bonifacium v. pertinere epitaphium ex annorum ac mensium numero patet, quibus ipsum sedisse postremi distichi verba monent. Cave autem, ne cum Baronio epitaphium illud *quinto* huic Bonifacio tribuas, quod ad eius antecessorem *Deusdedit*, pertinere demonstravimus. Cuius summi viri sententiae, praeter Pagium, Papebrochius quoque subscripsit, ubi haec de Bonifacio v. habet. (*) „ *Alterum epitaphium, ab Honorio successore positum, testatur, quod vixerit annis* LXXIII., *et ex his in presbyteratu egerit annos* XL.; *solemnes autem ad vaticanum exequias diu dilatas fuisse, forte ad annum* 627., *aut ultra: sic enim orditur*

Cur titulata diu torpuerunt iura sepulchri,
Et populi nullus perstrepuit gemitus: etc. „

Vt enim id omittamus, veri parum simile videri bina epitaphia Bonifacii sepulcro fuisse inscripta, curnam *diuturno temporis spatio* tituli honore caruisse Bonifacius diceretur, si ab Honorio I. eius successore monumento donatus fuisset? nonne papae Deusdedit potius ista conveniunt, inter cuius obitum atque Honorii pontificatum *sex* fere anni intercedunt? cui si Honorius post aliquot sui pontificatus annos memoriam posuerit, tanto rectius ea, quae initio carminis dicuntur, in Deusdedit quadrare adparebit.

XIV. Honorii papae I.

Bonifacio V. successit Honorius papa I., qui ab anno 625. *ad annum usque* 638.
sedit annos XII., menses XI., dies XVII.

VIII. EPYT̄.

PASTOREM MAGNVM LAVDIS PIA P̄MIA (*) LVSTRANT (*) nempe praemia.
QVI FVNCTVS PETRI HAC VICE SVMMA TENET.

EFFVLGIT (sic) TVMVLIS NAM PRAESVL HONORIVS ISTIS
CVIVS MAGNANIMVM NOMEN HONORQ. MANET.

SEDIS APOSTOLICAE MERITIS NAM IVRA GVBERNANS
DISPERSOS REVOCAT OPTIMA LVCRA REFERT.

VTQVE SAGAX ANIMO DIVINO IN CARMINE POLLENS
AD VITAM PASTOR DVCERE NOVIT OVES.

HISTRIA NAM DVDVM SAEVO SVB SCISMATE (sic) FESSA
AD STATVTA PATRVM TEQ. MONENTE REDIT.

(*) Conatus chronico-historicus ad catalogum romanorum pontificum, penes hollandianos tom. VI. mensis maii pag. 96.

IVDAICAE GENTIS SVB TE EST PFIDIA VICTA
SIC VNVM DNI REDDIS OVILE PIVM.
ADTONITVM PATRIAE SOLLERS SIC CVRA MONEBAT
OPTATA VT POPVLIS ESSET VBIQVE QVIES.
QVEM DOCTRINA POTENS QVEM SACRAE REGVLA VITAE
PONTIFICVM PARITER SANXIT HABERE DECVS.
SCILOQVI SEMPER IN TE COMMENTA MAGISTRI
EMICVERE TVI TAMQVAM FECVNDA NIMIS. (1)
NAMQVE (2) GREGORII TANTI VESTIGIA IVSTI
DVM SEQVERIS CVPIENS ET MERITVMQ. GERIS
AETERNAE LVCIS XPO DIGNANTE PERENNEM
CVM PATRIBVS SCIS POSSIDE IAMQ. DIEM.
HIS EGO EPYTAPHIIS (*sic*) MERITO TIBI CARMINA SOLVI
QVOD PATRIS EXIMII SIM BONIS (*sic*) IPSE MEMOR.

Codicis palatini fol. 37. *b.*, 38. *a.* *Grut. pag. MCLXV. num.* 11.

De Histriae schismate ab Honorio sublato consule Baronium ad annum 638., Quidnam vero carminis auctor indicare voluerit, cum *iudaicam perfidiam* sub eo pontifice *victam* adfirmat, nullo pacto adsequi possumus; nisi forte Honorius peculiari zelo atque studio in id incubuerit, ut iudaeos ad christianae religionis veritatem institutos ad suscipiendum baptisma adduceret. Heraclius certe imperator, sedente Honorio, nunciis ad Dagobertum Francorum regem missis rogavit, ut iudaeos omnes Francorum ditioni subiectos baptizari praeciperet (3); idque ipsum a romano pontifice petiisse veri simillimum videtur.

XV. Theodori papae I.

Theodorus papa I. ab anno 612. *ad annum* 649. *sedit annos VI., menses V., dies XIX.*

De Theodori sepulcro haec Petrus Maffius habet. (4) „ *Hic sepultus est in porticu pontificum; epitaphium cuius est istud*

INCVBAT EGREGII THEODORI PRAESVLIS ALMI
HOC TVMVLO CORPVS: *et cetera.* „

unde plures habuisse versus epitaphium liquet, quos vel ipse opusculi auctor, vel amanuensis emisit, atque ita pontificis elogium nobis invidit, quod et de Stephani II. epitaphio factum infra vidébimus.

XVI. Agathonis papae.

Sedit Agatho papa ab anno 678. *ad annum* 682. *annos III., menses VI., dies XIV.*

PONTIFICALIS APEX VVLTVTVM (5) PONDERE FVLTVS
VT IVBARIS (*sic*) RADIAT PERSONAT VT TONITRVS.
QVAE MODO HOC PERAGIT DOCTRINE (*sic*) FOMES ET ACTOR
FORMAT ENIM GESTIS QVOS DOCET ELOQVIIS.
DVM SIMVL AEQVIPERAT VIRTVS ET CVLMEN HONORIS
OFFICIVM DECORAT MORIBVS ARTE GERIT.

(1) Manifestum codicis vitium sanare ex coniectura frustra tentavimus.

(2) Coniicimus fuisse in marmore scriptum NAM QVI, ut carminum sensus sit iste: *nam tu, qui dum sequeris cupide vestigia Gregorii, habes quoque eius meritum, posside* etc.

(3) „ *Per internuncios* (Heraclius) *Dagobertum rogavit regem Francorum, ut cunctos iudaicae stirpis, qui in provinciis illi subiecti manebant, christianos fieri praeciperet: eos vero, qui nollent, aut exilio aut morte damnari. Quod Dagobertus volens effecit, omnes qui noluerunt baptisma suscipere, procul a finibus elimi-nans Franciae.* „ Aimoinus de gestis Francorum lib. IV. cap. XXII.

(4) Cod. vat. 3627. fol. 11.

(5) Sic in codice pro VIRTVTVM.

PRAEDITVS HIS MERITIS ANTISTES SVMMVS AGATHO
SEDIS APOSTOLICAE FOEDERA FIRMA TENET.
EN PIETAS EN PRISCA FIDES INSIGNIA PATRVM
INTEMERATA MANENT NISIBVS ALME TVIS.
QVIS VERO DINVMERET MORV̄ DOCVMENTA TVORV̄
FORMVLA VIRTVTVM DVM TVA VITA FORET.

Codicis palatini fol. 39. a, b. Grut. pag. MCLXVI. num. 3.

Veram secundi versus lectionem codex palatinus numero 591. notatus fol. 138. ita exhibet

Vt *iubar irradiat*, personat ut tonitrus.

XVII. Benedicti papae II.

Sedit Benedictus papa II. ab anno 684. ad annum 685. menses X., dies XII.

XII. EPYT̄.

MAGNA TVIS BENEDICTE PATER MONVMENTA RELINQVIS
VIRTVTVM TITVLOS O DECVS ATQVE DOLOR.
FVLGVRIS IN SPECIMEN MENTIS SPLENDORE CORVSCAS
PLVRA SED EXIGVO TEMPORE COEPTA FLVVNT.
CVNCTA SACERDOTVM P̄STANTIA MVNIA COMPLES
ET QVO QVISQ. BONO CLARVIT VNVS HABES.
QVIPPE QVOD A PARVO MERITIS RADIANTIBVS AVCTVS
IVRE PATRVM SOLIVM PONTIFICALE FOVES.
NON HOC AMBITIO RAPTI TIBI PRESTAT (*sic*) HONORIS
INDOLIS EST FRVCTVS QVAM COMITATVR HONOS.
ET QVIA SOLLERTER X̄P̄I REGIS AGMINA PASTOR
PERCIPE SALVATI PRAEMIA CELSA GREGIS.

Codicis palatini fol. 39. b., 40. a. Grut. pag. MCLXVI. num. 4.

Nonnisi ad *secundum* Benedictum commode referri posse, quae in secundo epitaphii disticho leguntur, iampridem Papebrochius notavit part. I. pag. 103. Conatus chronico-historici ad catalogum romanorum pontificum. „ *Benedicto brevis temporis pontifici compositum epitaphium est*, *quod in Appendice antiquarum inscriptionum pag.* MCLXVI. *num.* 4. *legitur.* „

XVIII. Stephani papae II.

Stephanus papa II., quem nonnulli III. numerant, ab anno 752. ad annum 757. sedit annos V., dies XXIX.

„ Hic sepultus est in porticu pontificum: cuius epitaphium est istud

SVBIACET HIC STEPHANVS ROMANVS PAPA SECVNDVS etc. „

Ex Petri Mallii opusculo. Codicis vaticani 3627. fol. 12.

Pluribus constitisse versibus Stephani II. epitaphium aperte indicat nota *etc.* primo eius hexametro adposita in vaticano Petri Mallii codice. De quo epitaphio ita Papebrochius in Conatu chronico-historico part. I. pag. 122. „ *Illius porro*, *quem nos cum tota antiquitate* secundum, *non* tertium *vocamus*, *Stephani epitaphium est*, *non autem alterius prius electi*, *quod Romanus canonicus in vaticanas basilicae descriptione refert sic scriptum*

Subiacet hic Stephanus romanus papa secundus. „

XIX. Hadriani papae I.

Hadrianus papa I. ab anno 772. ad annum 795. sedit annos XXIII., menses X., dies XVII.

HIC PATER ECCLESIAE ROMAE DECVS INCLYTVS AVCTOR
HADRIANVS REQVIEM PAPA BEATVS HABET
VIR CVI VITA DS PIETAS LEX GLORIA CHRISTVS
PASTOR APOSTOLICVS PROMPTVS AD OMNE BONVM
NOBILIS EX MAGNA GENITVS IAM GENTE PARENTVM
SED SACRIS LONGE NOBILIOR MERITIS
EXORNARE STVDENS DEVOTO PECTORE PASTOR
SEMPER VBIQVE SVO TEMPLA SACRATA DO
ECCLESIAS DONIS POPVLOS ET DOGMATE SCO
IMBVIT ET CVNCTIS PANDIT AD ASTRA VIAM
PAVPERIBVS LARGVS NVLLI PIETATE SECVNDVS
ET PRO PLEBE SACRIS PERVIGIL IN PRECIBVS
DOCTRINIS OPIBVS MVRIS EREXERAT ARCES
VRBS CAPVT ORBIS HONOR INCLYTA ROMA TVAS.
MORS CVI NIL NOCVIT XPE QVAE MORTE PEREMPTA EST
IANVA SED VITAE MOX MELIORIS ERAT
POST PATREM LACRIMANS KAROLVS HAEC CARMINA SCRIBSI (*sic*)
TV MIHI DVLCIS AMOR TE MODO PLANGO PATER
TV MEMOR ESTO MEI SEQVITVR TE MENS MEA SEMPER
CVM XPO TENEAS REGNA BEATA POLI
TE CLERVS POPVLVS MAGNO DILEXIT AMORE
OMNIBVS VNVS AMOR OPTIME PRAESVL ERAS
NOMINA IVNGO SIMVL TITVLIS CLARISSIME NOSTRA
HADRIANVS KAROLVS REX EGO TVQ. PATER
QVISQVE LEGES VERSVS DEVOTO PECTORE SVPPLEX
AMBORVM MITIS DIC MISERERE DS
HAEC TVA NVNC TENEAT REQVIES CARISSIME MEMBRA
CVM SCIS ANIMA GAVDEAT ALMA DI
VLTIMA QVIPPE TVAS DONEC TVBA CLAMET IN AVRES
PRINCIPE CVM PETRO SVRGE VIDERE DM
AVDITVRVS ERIS VOCEM SCIO IVDICIS ALMAM
INTRA NVNC DNI GAVDIA MAGNA TVI
TVNC MEMOR ESTO TVI NATI PATER OPTIME POSCO
CVM PATRE DIC NATVS PERGAT ET ISTE MEVS
O PETE REGNA PATER FELIX CAELESTIA XPI
INDE TVVM PRECIBVS AVXILIARE GREGEM

DVM SOL IGNICOMO RVTILVS SPLENDESCIT AB AXE
LAVS TVA SCE PATER SEMPER IN ORBE MANET
SEDIT BEATAE MEMORIAE HADRIANVS PAPA
ANNOS XXIII MENSES X DIES XVII OBIIT VII KL IAN

Ex solida tabula nigri marmoris longa palmos x., lata palmos v. cum sextante, quae pontificis ipsius sepulcro imposita fuisse videtur. Prostat in basilicae porticu muro adfixa inter portam mortuorum, et ravennianam.

Locum, ubi Hadrianus papa i. sepultus fuerat in vaticana basilica, ita indicat in suo opusculo Petrus Mallius. (1) „ *Iuxta hoc oratorium sancti Leonis* IV. *papae est oratorium beatae recordationis domini Hadriani* I. *papae, de quo habetur hoc epitaphium.* „ Sequitur in codice epitaphium, cuius priores tantummodo quatuordecim versus ibi leguntur, omissis, amanuensis procul dubio incuria, reliquis omnibus; qui una cum chronologica clausula in una eademque marmorea tabula insculpti sunt, neque idcirco a Petro Mallio ignorari ullo pacto poterant, nisi forte muro aliquo superstructo inferior tabulae pars eius aetate latuerit, quemadmodum in Nicolai I. epitaphio contigisse constat. Cave igitur, ne cum Papebrochio credas versus a Petro Mallio omissos aliud esse epitaphium Hadriani I. a Karolo magno compositum: ita enim de iis vir clarissimus scribit (2) „ *Eidem sepulcro exornando ipse etiam Carolus magnus, tamquam filius patri, insigne composuit epitaphium: quod procul dubio ibidem aliquando pependit, Romani autem canonici aetate non legebatur amplius: quare licet etiam relatum a Baronio iuvat hic attexere:*

Mors cui nil nocuit, Christi quae morte perempta est
Ianua sed vitae mox melioris erat etc. „

XX. *Sergii papae II.*

Sergius papa II. ab anno 844. *ad annum* 847. *sedit annos* II., *menses* XI., *dies* XVI.

SERGIVS EN IVNIOR PRAESVL ET PLEBIS AMATOR
HOC TEGITVR TVMVLO QVI BENE PAVIT OVES.
SPES PATRIAE MVNDIQVE DECVS MODERATOR OPIMVS
DIVINIS MONITIS NON FVIT ILLE PIGER.
ROMANOS PROCERES NON TANTVM FAMINE VERBI
REBVS ET HVMANIS NOCTE DIEQVE FAVENS. (3)
VTQVE LEO SANCTVS DAMASVS QVOQVE IPSE (*sic*) (4) BENIGNVS
HIC RITVM TENVIT INSTITVITQVE GREGEM.
EGENTVM SEMPER STVDVIT RECREARE CATERVAM
PROQVE POLI VT CAPERET COELICA REGNA LIBENS.
IAM IAM PRO TANTO TVNDAMVS PECTORA PVGNIS
PASTORE AMISSO (*sic*) VIVAT VT AXE POLI.
NECTITVR ECCE PIIS FAVIANO ET CORPORE XISTO (*sic*)
PRESVLIBVS (*sic*) QVORVM SPIRITVS ASTRA MICANT.

Ex Petri Mallii opusculo. Codicis vaticani 3627. *fol.* 13.

In vaticanae basilicae archivo membranaceus est codex littera C. 101. notatus, in quo nonnulla divi Hieronymi opera continentur. Cuius codicis folio 104. epitaphii huiusce apographum legitur, a Baronio

(1) Codicis vaticani 3627. fol. 5.
(2) Conatus chronico-histor. ad catalogum romanorum pontificum, apud bollandianos, tom. VI. mensis maii, part. I. pag. 124.
(3) Legendum omnino videtur *fovens*.
(4) In vaticanae basilicae codice C. 101. legitur PAPA.

iampridem exscriptum atque editum, (1) cui haec de loco, ubi repertum fuit, subiiciuntur. „ *Hoc epytaphium inventum fuit in altari beati Xisti*, (2) *quod est ante ecclesiam sancti Martini*, *in introitu basilicae beati Petri iuxta ferratam: super altari vero arcus ex mirifico musibo. Sicut dicitur Pascalis primus papa in pontificali post depraedationem cimiterii Callisti* (3) : *et posuit corpus beati Xisti ante corpus beati Petri iuxta ferratam: super quod fecit altare lapidibus ornatum, et super altare arcum ex mirifico musibo.* „ (4)

Postrema epitaphii verba diserte innuunt Sergii *secundi* corpus prope *Fabiani* et *Xysti primi* sepulcra humatum fuisse: cum tamen ex Anastasio constet (5) *Xystum* tantummodo in vaticano sepultum, *Fabianum* vero pontificem a coemeterio Callisti, ubi primum depositus fuerat, a Sergio II. ad ecclesiam sanctorum Silvestri et Martini in Esquiliis fuisse translatum, quod ut inscriptio adhuc in ipsa ecclesia exstans testatur. Ut igitur cum epitaphio, cui fides denegari non potest, Anastasii textus conciliетur, putandum est aliquam a corpore sancti pontificis Fabiani partem sub eodem altari una cum Xysti corpore fuisse reconditam.

XXI. Benedicti papae III.

Benedictus papa III. ab anno 855. *ad annum* 858. *sedit annos II., menses VI., dies X.*

QVISQVIS HVC PROPERAS CHRISTVM PRO CRIMINE POSCENS
QVAM LACRYMIS DIGNVS SIT ROGO DISCE LOCVS.
HAC GELIDA PRAESVL BENEDICTVS MEMBRA QVIETE
TERTIVS EN CLAVDIT QVAE SIBI REDDAT HVMVS.
QVODQVE FORET TECTVS (*sic*) SERVAT SVB TEGMINE SAXI
INDIGNVM SANXIT SE SOCIARE PIIS.

Ex Petri Mallii opusculo. Codicis vaticani 3627. *fol.* 14.

XXII. Nicolai papae I.

Nicolaus papa I. ab anno 857. *ad annum usque* 867. *sedit annos IX., menses VI., dies XX.*

Scire volens cur tr ISTE GENVS MORTALE REPENTE
Quisquis ad haec prop ERAS EOIS PARTIBVS AVLAE
Templa vel occidu IS POLLENS AVSTROQVE BEATAE
Axe vel a gelido CARMEN SCRVTARE MEMENTO.
Conditur hoc a NTRO SACRI SVBSTANTIA CARNIS
Praesulis egregii NICOLAI DOGMATE SANCTO
Qui fulsit cunc TIS MVNDVM REPLEVIT ET ORBEM
Intactis nituit m EMBRIS CASTOQVE PVDORE
Quae docuit ve RBIS ACTVQVE PEREGIT OPIMO
Sydereo (sic) *plenu* S MANSIT DOCTVSQVE SOPHIA *e*
Caelorum cla RIS QVEM SERVANT REGNA TRIVMPH *is*
Ut vernet soli IS PR *oceru* M PER SAECVLA VATV *m*

Ex tabulae marmoreae fragmento adhuc in cryptis superstite, atque ex Petri Mallii opusculo,
codicis vaticani 3627. *folio* 14.

Verum ultimi versus lectionem a vaticano codice nunc primum edimus, cum omnes hucusque Baronium sequuti legerint REGNET, quod re ipsa in codice est VERNET. Quatuor priores epitaphii versus, partim ex nostra, partim ex Cancellierii coniectura suppletos, cum in Petri Mallii apographo desint, latuisse eius aetate necesse est, quemadmodum supra ad numerum 99. pag. 58. animadvertimus.

(1) Ad annum Christi 847. num. VI.

(2) Altaris huius situm in Alpharani ichnographia numerus 8. designat: ecclesiam, sive monasterium sancti Martini littera *a*: *introitus* vero *iuxta ferratam*, hoc est *porta*, quae ab occidente *proxime beati Petri sepulcrum*, in transversam basilicae navim intromittebat, numero 13. ibidem denotatur.

(3) Verba in codice perturbata ita in ordinem redigenda videntur: *Sicut dicitur in pontificali: Pascalis primus papa post depraedationem cimiterii Callisti reposuit corpus beati Xisti* etc.

(4) Anastasius in Paschalis I. vita sect. CCCCXXXI. „ *In eiusdem* (beati Petri) *venerabili basilica ante aditum, qui ducit ad corpus, in loco ferrata, altare constituit, in quo et venerandum beati Sixti martyris atque pontificis corpus honestissime collocavit: ubi et desuper arcum musivo exornatum decenter instruxit.* „

(5) Sect. VIII. „ *Qui etiam* (*Xystus* scilicet) *sepultus est iuxta corpus beati Petri in vaticanum.* „

XXIII. Hadriani papae II.

Sedit Hadrianus papa II. ab anno 867. ad annum 872. annos IV., menses X., dies XVII.

*Quae m*IHI COMPOSVIT *Mortal*IS PONDERA CARNIS
*H*ADRIANVS . *P rae* SVL . HIC SVA MATER H *abet.*
*In ci*NERES MERSIT *qu*ICQVID DE PVLVERE SV*mpsit*,
*Atque a*NIMĀ CAELO . REDDIDIT OSSA *que humo.*
Prudens et PLACIDVS FVERAT SVPER AET*heris oras*,
*Pauperibu*S LARGVS . DIVITIBVSQVE *pius.*
Omnibus et MEDIVS NVLLIS NISI CARV*s habendus*,
*Actibus eg*REGIVS . RECTVS V*t eloquio:*
Compatiens LACRI*mis* AL*iarum corde benigno*,
*Divini*S M*onitis nec fuit ille piger.*
*Pro qu*O IVR*s deum precibus votisque rogemus*,
VT SIT CV*m sanctis caelica regna tenens.*
QVI LEGIS HOS *versus compuncto dicito corde Cum Christo regnes a Hadriane deo.*

Ex quatuor marmoreas tabulas fragmentis nunc primum in unum iunctis,
atque in mediana cryptarum navi muro adfixis.

Quatuor illa marmoreae tabulae fragmenta, quae ex Hadriani II. epitaphio supersunt, atque in vaticana basilica reperta fuerunt, nullo modo nos dubitare siunt, quin vel in porticu pontificum, vel intra ipsum templum sepoltus Hadrianus fuerit. Neque mirum videri cuipiam debet, nullam in Petri Mallii opusculo huiusce epitaphii mentionem fieri, cum aliis etiam exemplis constet, non ea, qua par erat, diligentia in inquirendis atque exscribendis pontificum epitaphiis eum virum usum fuisse. Nam et Nicolai I. epitaphium integro tetrasticho mutilum refert, et in Hadriani *primi* elogio sex et viginti versus uno in marmore continuata scriptura exaratus omisit: Theodori praeterea *primi*, atque Stephani *secundi* elogia tantummodo indicavit, primum utriusque versum retulisse contentus, uti supra a nobis est animadversum. Quare Papebrochii opinio falsa deprehenditur, qui de Hadriani II. sepulcro haec habet. (1) „ *Qui gesta huius pontificis scribenda susceperat continuator Anastasii Guilielmus bibliothecarius, videtur ea fine mutila reliquisse: quo fit, ut nulla sepulturae eius habeatur notitia. Solum opinari possumus* alibi, quam intra, vel iuxta basilicam sancti Petri humatum; *cum Romanus canonicus nullam istic invenerit eius memoriam.* „

XXIV. Ioannis papae VIII.

Sedit Ioannes papa VIII. ab anno 872. ad annum 882. annos X., diem unum.

PRAESVLIS OCTAVI REQVIESCVNT MEMBRA IOANNIS
TEGMINE SVB GELIDO MARMOREI TVMVLI
MORIBVS VT PARET FVLSIT QVI MENTE BEATIS
ALTISONVS (*sic*) (2) COMPTVS ACTIBVS ET MERITIS.
IVDICII CVSTOS MANSIT PIETATIS AMATOR
DOGMATIS ET VARII (*sic*) PLVRIMA VERBA DOCENS.
DE SEGETE CHRISTI PEPVLIT ZIZANIA SAEPE
MVLTAQVE PER MVNDVM SEMINA FVDIT OVANS.

(1) Conatus chronico-histor. ad catalogum romanorum pontificum, penes bollandianos, tom. VI. mensis maii, part. 1. pag. 140.

(2) Vitiosam codicis scripturam tum heic, tum in sexto atque ultimo versu optime Baronius emendat legens *altisonis*, *veri*, *sevit.*

DOCTI (*sic*) (1) PRVDENS VERBO LINGVAQVE PERITVS
SOLLERTEM SE SE OMNIBVS EXHIBVIT.

ET NVNC COELICOLAS CAENAT (*sic*) SVPER ASTRA FALANGES (2)

Ex Petri Mallii opusculo. Codicis vaticani 3627. *fol.* 15.

Recte animadvertit Papebrochius (3), Frodoardum in contexendis romanorum pontificum elogiis habuisse prae oculis eorum epitaphia, quae Romae praesens legerat, ac sibi descripserat. Hoc autem non modo ex Hadriani II., verum etiam ex aliorum quorumdam pontificum, ac maxime ex Ioannis VIII. elogio manifeste deprehenditur, quod ex illius pontificis epitaphio totidem fere verbis hunc in modum Frodoardus expressit:

„ *Hoc* (Hadriano) *rapto capit octavus segmenta* (4) *Ioannes*
Culminis eximii, *quique* effulsisse beatis
Moribus *adstruitur*, *doctrina ornatus et actis*,
Iudicii custos *recti*, *pietatis amator*,
De Christi segete crebro zizania pellens,
Et rationales per agros pia semina *spargens*,
Vipote doctiloquus, prudens, *sensuque* peritus,
Sollicitum qui se gregibus praebebat alendis. „

XXV. Marini papae I.

Marinus papa I. ab anno 882. *ad annum* 884. *sedit annum unum, menses V.*

QVAM SOLLERS DOMINO PLACVIT QVAM MENTE MODESTA
PRAESVL APOSTOLICVS ORBIS ET OMNE DECVS.
HIC STATVIT TVMVLO CLAVDI SVA MEMBRA SVB ISTO
HAEC EADEM SPERANS VT SIBI REDDAT HVMVS.
ARDVA QVI FVLSIT CVNCTIS VT SYDERA COELI
AVGVSTIS CHARVS GENTIBVS ET TRIBVBVS.
DOCTRINIS COMPTVS SACRIS ET DOGMATE CLARO
PER PATRIAS SANCTA SEMINA FVDIT OVANS.
NAM GRAIOS SVPERANS EOIS PARTIBVS VNAM
SCISMATA (*sic*) PELLENDO REDDIDIT ECCLESIAM.
PRINCIPIS HINC PETRI SED QVISQVIS TENDIS AD AVLAM
DIC SVPPLEX ISDEM REGNET VT ARCE POLI.

Ex Petri Mallii opusculo. Codicis vaticani 3627. *fol.* 14.

In portico pontificum exstitisse hoc epitaphium Petrus Mallius vaticani laudati codicis fol. 14. his verbis testatur. „ *Inter portam argenteam, et portam romanam, videlicet in porticali, fuit sepulchrum cuiusdam Ioannis papae bonae memoriae: cuius epitaphium est istud*:

Quam sollers domino placuit, *quam mente modesta*
Praesul apostolicus orbis et omne decus etc. „

(1) Hunc versum Baronius, sive e se emendatum, sive e suo codice descriptum, ita refert:

„ *Prudens et doctus verbo linguaque peritus.*

Nos vaticani codicis lectionem retinendam censemus, et ad carminis hiatum explendum *doctiloquus* in versu reponimus, quemadmodum Frodoardus legisse olim in ipso marmore videtur.

(2) Non male Baronius *scriptoris vitio*, *vel alio casu decurtatum* epitaphium putat: unus namque ad minimum in fine carminis versus deest.

(3) Paralipomena ad conatum in catalogos pontificum, penes bolland., tom. VII. mensis maii, pag. 71.

(4) *Hac voce* (inquit Salmasius ad Vopiscum in vita Aureliani §. 46.) *latini intelligunt lora aurata*, *vel fascias auratas vestibus praetexi consuetas*, *et eas maxime*, *quibus summa ora vestis praetexebatur.* Vtitur ea, tum heic tum alibi, poetice Frodoardus ad pontificale pallium designandum; nam et de pallio a Ioanne X. ad Seulfum remensem archiepiscopum misso ita canit:

Pontifici hic nostro legat *segmenta* Seulfo.

Cui si fides in hoc esset habenda, necessario inde sequeretur ad Ioannem papam VII. pertinere epitaphium non posse; quippe qui non in porticu, sed intra ipsam basilicam sepultus fuerit *ante altare oratorii sanctae dei genitricis, quod ipse construxit.* (1). Neque vero ad Ioannem II., VIII., IX., vel XIV. potest referri, quorum epitaphia in palatino codice, ac penes ipsum Petrum Mallium habemus. Quare si romani alicuius pontificis Ioannis nomine proprium habendum esset, quemadmodum Petrus Mallius putavit; ad unum aliquem ex istis pertinuisse oportet, ad *primum* nempe, vel ad III., V., VI., X., XII., XIII., XV., XVI., XVII., vel denique ad XVIII., (2) qui omnes Petrum Mallium aetate praecesserunt. Nulli tamen ex hisce omnibus tribuendum esse epitaphium, sed ad Marinum I., Ioannis VIII. successorem, spectare inde evincitur, quod Frodoardus de hoc Marino agens ipsissima epitaphii verba, pro suo more, in suum carmen ita transtulerit.

„ *Quo* (Ioanne VIII.) *patribus iuncto* solers *subit alta Marinus*
Regmina, *qui* placitus domino, *et* decus orbis *habetur.*
Augustis carus, *populorum dignus amator*,
Doctrinis *renitens* sacris, *et* semina diva
Cordibus infundens hominum per climata mundi.
Nam graios superans, *pulsis erroribus*, unam
Reddidit ecclesiam, *scissumque coegit ovile.* „

Qua in re mirari satis non possumus, Papebrochium, qui Frodoardi ac Petri Mallii scripta optime nosset, ne suspicatum quidem fuisse Marini *primi* epitaphium in hoc epigrammate haberi: ait enim (3) „ *Epistolarum Marini*, epitaphiique defectum *supplent quadamtenus Flodoardi versus utrinque accepti*:

. . . . *quo* (Ioanne) *patribus iuncto subit alta Marinus*
Regmina etc. „

XXVI. Stephani papae V.

Stephanus papa V., qui VI. a nonnullis dicitur, ab anno 885. ad annum 891. sedit annos VI., dies IX.

ACCEDIS QVISQVIS MAGNI SVFFRAGIA PETRI
COELESTIS REGNI POSCERE CLAVIGERI
INTENTIS OCVLIS COMPVNCTO CORDE LOCELLVM
CONSPICE PERSPICVVM QVO PIA MEMBRA IACENT.
HIC TVMVLVS QVINTI SACRATOS CONTINET ARTVS
PRAESVLIS EXIMII PONTIFICIS STEPHANI.
BIS TERNIS ANNIS POPVLVM QVI REXIT ET VRBEM
ET GESSIT DOMINO QVAE FVERANT PLACITA.
SVSCEPIT TELLVS CONSVMPTVM PVLVERE CORPVS
AETHERA SED SCANDIT SPIRITVS ALMVS OVANS.
VNDE PETO CVNCTI VENIENTES DICITE FRATRES
ARBITER OMNIPOTENS DA VENIAM STEPHANO.

Ex Petri Mallii opusculo. Codicis vaticani 3627. fol. 13., 14.

XXVII. Bonifacii papae VI.

Formoso successit Bonifacius papa VI., qui anno 896. sedit dies XV.

In toties laudato Petri Mallii opusculo haec folio 7. habentur. „ *Bonifatius papa I. Hic requiescit in porticu pontificum, de quo habetur hoc epitaphium:*

Atria magnifici sunt membris plena sepulti
Sedis apostolicae Bonifati praesulis almi. „

Quod epitaphium (dummodo ex binis tantum, ac non potius ex pluribus constiterit versibus, ut nobis verisimile videtur) sua etiamnunc aetate superstes Petrus Mallius circa medium XII. saeculum in porticu pontificum vidit quidem, atque exscripsit; a vero tamen longe aberravit, cum ad Bonifacium *primum* referendum esse censuit: quem *in sanctae martyris Felicitatis coemeterio via salaria sepultum* disertissimis verbis Anastasius narrat; (4) neque inde alio unquam translatum fuisse quisquam memoriae prodidit. Petri

(1) Anastasius in Ioannis VII. vita sect. CLXVIII.
(2) Ioanni XVIII. Papebrochius, nullo tamen fultus argumento, adsignavit.
(3) Paralipomena ad conatum in catalogos pontificum, penes bollandianos, tom. VII. mensis maii, pag. 71.
(4) Sect. LXI.

Mallii errorem Papebrochius etiam agnovit, ubi de Bonifacii I. sepulcro ita disserit. (1) „ *Or naverat ipse* (Bonifacius I.) *vivens sepulcrum sanctae Felicitatis, in eiusque coemeterio oratorium fecerat : quare credibile est ibidem et sepeliri voluisse, exindeque tali die colitur : et ibi hactenus videtur requiescere.* „ Cum igitur *primo* Bonifacio tribui epitaphium non possit, reliquorum vero huius nominis pontificum epitaphia cognita habeamus; unum hoc superest, ut ad Bonifacium VI. necessario sit referendum. Hunc nobili ortum genere, brevissimo dierum XV. spatio sedisse notum est, (2) quemadmodum Frodoardi quoque de ipso carmina testantur:

„ *Hinc subit ad modicum vates Bonifacius almus.*
Ter quinos hic in arce dies explevit honoris;
Culmina mox mutans superat fastigia celsa,
Inque brevi spatio quaesita cacumina scandens
Inter apostolici proceres adscribitur albi. „

Quare autem a nonnullis Bonifacius iste legitimi pontificis loco non habeatur, neque huius est loci, neque nostri instituti disquirere.

XXVIII. Stephani papae VI.

Stephanus papa VI., quem nonnulli VII. vocant, ab anno 896. ad annum 897. sedit annum I., menses II.

HOC STEPHANI PAPAE CLAVDVNTVR MEMBRA SACELLO
SEXTVS DICTVS ERAT ORDINE QVIPPE PATRVM.
HIC PRIMVM REPPVLIT (*sic*) FORMOSI SPVRCA SVPERBI
CVLMINA QVI INVASIT SEDIS APOSTOLICAE.
CONSILIVM (*sic*) INSTITVIT, PRAESEDIT PASTOR ET IPSI
LEGE SATIS FESSIS IVRA DEDIT FAMVLIS.
CVMQVE PATER MVLTVM CERTARET DOGMATE SANCTO
CAPTVS ET A SEDE PVLSVS IN IMA FVIT.
CARCERIS INTEREA VINCI (*sic*) CONSTRICTVS IN VNO (*sic*)
STRANGVIT LATVS VERBI EXVERAT HOMINE (*sic*)
POST DECIMVMQVE DIEM REGNANTI TRANSTVLIT ANNVM
SERGIVS HVC PAPA FVNERA SACRA COLENS.

Ex Petri Mallii opusculo. *Codicis vaticani* 3627. *fol.* 14., 15.

De Stephano sexto, deque eius gestis haec Frodoardus, verba pariter ac sententias ab illius epitaphio mutuatus

„ *Tum sextus Stephanus sacra regmina culmine carpit,*
Durus qui nostris, propriis at durior instat.
Saeva quidem legat vivis, truciora sepultis.
Folconemque minis, Formosum concutit actis.
Concilium gregat infaustum, cui praesidet atrox:
Praedecessorem abiiciens, ponensque patronum.
Visus ab hinc meritis dignam incurrisse ruinam,
Captus et ipse *sacraque abiectus sede*, tenebris
Carceris iniicitur vinclisque innectitur atris,
Et suffocatum crudo premit ultio leto. „

Menda autem, quibus in vaticano codice quintum distichon scatet, sanantur ope epitaphii Benedicti papae VII., quod in sessoriana basilica etiamnunc superstes ex ipso marmore a nobis exscriptum heic subiicimus:

(1) Conatus chronico-histor. ad catalogum romanorum pontificum, penes bollandianos, tom. VI. mensis maii, part. 1. pag. 62.

(2) De eo ita Ciaconius. „ Ponere hunc hominem in catalogo summorum pontificum expediens fuit, non propter res gestas, quae nullae sunt; (quid enim geri in tanta brevitate temporis potuit?) sed quia legitime et recte pontifex creatus est: obiit Romae pridie kalendas ianuarii ineunte anno 896. *sepultus ad sanctum Petrum.* „

† HOC BENEDICTI P̄P̄ QVIESCVNT MEMBRA SEPVLCHRO
SEPTIMVS EXISTENS ORDINE QVIPPE PATRVM.
HIC PRIMVS REPPVLIT FRANCONIS . SPVRCA SVPERBI
CVLMINA QVI INVASIT SEDIS APOSTOLICAE.
QVI DOMINVMQVAE (*sic*) SVVM CAPTVM IN CASTRO HABEBAT
CARCERIS INTEREA VINCLIS . CONSTRICTVS IN IMO.
STRANGVILATVS (*sic*) VBI EXVERAT HOMINEM.
CVMQVE PATER MVLTVM CERTARET . DOGMATE SC̄Ō.
EXPVLIT A SEDE INIQVVS . NAMQVE INVASOR
HIC . QVOQVE PREDONES (*sic*) SC̄ŌRVM . FALCE SVBEGIT
ROMANE ECCLESIE . (*sic*) IVDICIISQVAE (*sic*) PATRVM
GAVDET AMANS PASTOR AGMINA . CVNCTA SIMVL.
HICCAE (*sic*) MONASTERIVM STATVIT . MONACHOSQ . LOCAVIT
QVI LAVDES D̄N̄O NOCTE DIEQVAE (*sic*) CANW T.
CONFOVENS VIDVAS . NEG (*sic*) NON ET INOPESQ ; PVPILLOS
VT NATOS PROPRIOS . ASSIDVE REFOVENS .
INSPECTOR TVMVLI . COMPVNCTO DICITO CORDE

C̄V X̄P̄O REGNES . O BENEDCE D̄Ō : D̄ X. M̄. IV L INAP LA SED RESIDNS. VIIII ĀN̄N̄. OBIIT AD X̄P̄M̄ IN D̄C. XII

In marmorea tabula longa palmos IX. cum semisse , lata palmos V. cum quadrante.

Vides Benedicti VII. epitaphium ob summam , qua tunc occidentales omnes populi premebantur , barbariem , et ignorantiam compositum fuisse consutis ineptissime simul , centonis in morem , nonnullis versibus ex hoc Stephani VI. et ex sequenti Benedicti IV. epitaphio , prout iampridem Baronius animadvertit ad annum 984.

XXIX. Ioannis papae IX.

Sedit Ioannes papa IX. ab anno 898. *ad annum* 900. *annos II., dies XV.*

ECCLESIAE SPECIMEN CLARISSIMA GEMMA BONORVM
ET MVNDI DOMINVS HIC IACET EXIMIVS
IOANNES MERITIS QVI FVLSIT IN ORDINE NONVS
INTER APOSTOLICOS QVEM VEHIT ALTITONANS.
CONCILIIS DOCVIT TERNIS QVID DOGMA SALVTI (*sic*)
OBSERVARE DEO MVNERA SANCTA FERENS.
TEMPORIBVS CVIVS NOVITAS ABOLITA MALI EST
ET FIRMATA FIDES QVAM STATVERE PATRES.
QVI MORITVRVS ERIS LECTOR DIC PAPA IOANNES
CVM SANCTIS CAPIAT REGNA BEATA DEI.

Ex Petri Mallii opusculo. Codicis vaticani 3627. *fol.* 15.

Ioannis IX. epitaphium prae oculis habuit Frodoardus, cum haec de illo scripsit:

„ *Ioannes subit hinc* , qui fulsit in ordine nonus ,
Pellitur electus patria quo Sergius urbe ,
Romulidumque gregum quidam traduntur abacti.
Conciliis *tamen is* ternis docuisse *refertur*
Dogma salutiferum , novitasque abolata malorum ,
Et firmata fides *doctrinis tradita patrum*. „

XXX. Benedicti papae IV.

Benedictus papa IV. ab anno 900. ad annum 903. sedit annos III., menses II.

MEMBRA BENEDICTI QVARTI SACRATA QVIESCVNT
PONTIFICIS MAGNI PRAESVLIS EXIMII.
QVI MERITO DIGNVS BENEDICTVS NOMINE DICTVS
CVM FVERIT LARGVS OMNIBVS ATQVE BONVS.
HVIC GENERIS DECVS AC PIETATIS SPLENDOR OPIMVS
ORNAT OPVS CVNCTVM IVSSA DEI MEDITANS.
PRAETVLIT HIC GENERALE BONVM LVCRO SPETIALI *(sic)*
MERCATVS COELVM CVNCTA SVA TRIBVIT.
DESPECTAS VIDVAS NEC NON INOPESQVE PVPILLOS
VT NATOS PROPRIOS ASSIDVE REFOVENS.
INSPECTOR TVMVLI COMPVNCTO DICITO CORDE
CVM CHRISTO REGNES O BENEDICTE DEO.

Ex Petri Mallii opusculo. *Codicis vaticani* 3627. *fol.* 15.

Benedicti IV. elogium ex verbis atque sententiis, quae in eius epitaphio leguntur, ita Frodoardus contexuit:

„ *Tum sacra consurgunt Benedicti regmina quarti*
Pontificis magni, *merito qui nomine tali*
Enituit, cunctis ut dapsilis atque benignus.
Huic generis *nec non* pietatis splendor opimus:
Ornat opus cunctum: meditatur iussa *tonantis.*
Praetulit hic generale bonum lucro speciali:
Despectas viduas, inopes, *vacuosque patronis*
Assidua ut natos proprios, *bonitate* fovebat,
Mercatusque polum *indiguis sua cuncta refudit.* „

XXXI. Christophori papae.

Sedit Christophorus papa ab anno 903. ad annum 904. menses VI.

De Christophori papae sepulcro, atque epitaphio haec Petrus Mallius habet. (1) „ *Hic requiescit in ecclesia beati Petri: de quo habetur hoc epitaphium:*

HIC PIA CHRISTOPHORI REQVIESCVNT MEMBRA SEPVLTI. „

Vix nobis persuadere possumus unico tantum versu Christophori papae elogium fuisse comprehensum, quemadmodum a Petro Mallio refertur; verum ab ipso potius, sive ab amanuense, reliquos epitaphii versus per negligentiam omissos putamus, prout de Theodori *primi*, atque Stephani *secundi* epitaphio factum fuisse supra animadvertimus.

XXXII. Sergii papae III.

Sergius papa III. ab anno 904. ad annum 911. sedit annos VII., menses III.

LIMINA QVISQVIS ADIS PAPAE (2) METVENDA BEATI
CERNE PII SERGII ESCVBIASQVE *(sic)* PETRI.
CVLMEN APOSTOLICAE SEDIS IS IVRE PATERNO
ELECTVS TENVIT VT THEODORVS OBIT. (3)
PELLITVR VRBE PATER PERVADIT SACRA IOANNES (4)
ROMVLEOSQVE GREGES DISSIPAT IPSE LVPVS.

(1) Cod. vat. 3627. fol. 16.

(2) Ita in textu legitur, neque aliter Paulus de Angelis edidit pag. 96.: sed in codicis margine adscriptum est PETRI eadem manu.

(3) Theodorus nempe II., quo e vivis erepto anno 898., postquam dies XX. sedisset, Sergius iste romanae ecclesiae presbyter electus fuit pontifex, non tamen consecratus.

(4) Verba ita sunt distinguenda: *Pellitur urbe pater*, Sergius: *pervadit sacra Ioannes*: evehitur ad pontificatum Ioannes, papa huius nominis *nonus.*

EXVL ERAT PATRIA SEPTEM VOLVENTIBVS ANNIS
POST MVLTIS POPVLI VRBE REDIIT (*sic*) PRECIBVS.
SVSCIPITVR PAPA SACRATVR SEDE RECEPTA
GAVDET AMAT PASTOR AGMINA CVNCTA SIMVL.
HIC INVASORES SANCTORVM FALCE SVBEGIT
ROMANAE ECCLESIAE IVDICIISQVE PATRVM. (1)

Ex Petri Mallii opusculo. *Codicis vaticani* 3627. *fol.* 11., 12.

Perperam a Petro Mallio, cui et Baronius adstipulatur (2), Sergio *primo* epitaphium istud tribuitur; cum singula, quae in eo continentur, uni tantum Sergio *tertio* convenire possint. Quod a Pagio primum animadversum (3) Muratorius etiam probat (4); a quo tamen dissentire cogimur in secundi versus emendatione, ubi EXVVIAS, non EXCVBIAS legendum vir doctissimus censet; nullum enim in codice mendum illo in versu subesse putamus. Respexit nempe carminis auctor ad locum, in quo Sergius fuerat humatus (5); eumque quasi excubias agere in ipsis basilicae beati Petri liminibus innuit: verba enim, quae inconcinna atque inepta, illo maxime aevo usitata metathesi, sunt perturbata, ita ordinanda videntur: *quisquis adis limina metuenda beati Petri cerne et excubias pii Sergii papae.* Si quis vero vitandae metathesis caussa in primo versu non PAPAE, sed PETRI legere malit, prout in codicis margine adnotatur; is eumdem, etsi duriori verborum structura, eliciet sensum ita: *quisquis adis limina metuenda beati Petri cerne et excubias Petri pii Sergii*: hoc est *cerne et excubias*, *quas Petro agit pius Sergius.*

XXXIII. Anastasii papae III.

Anastasius papa III. ab anno 911. *ad annum* 913. *sedit annos II.*, *menses II.*

VATIS ANASTASII REQVIESCVNT MEMBRA SEPVLCHRO
SED NVNQVAM MERITVM PARVVLA CLAVDIT HVMVS.
SEDEM APOSTOLICAM BLANDO MODIRAMINE REXIT (*sic*).
TERTIVS EXISTENS ORDINE PONTIFICVM.
AD CHRISTVM PERGENS PACATI (*sic*) VINCVLA SPERAT
SOLVERE CLEMENTER OMNIA POSSE SIBI.
LIMINA CVRRENTES AD TEMPLI VNDIQVE HVIVS (*sic*)
VT PRAESTET REQVIEM POSCITE CORDE DEVM.

Ex Petri Mallii opusculo. *Codicis vaticani* 3627. *fol.* 16.

Ex Anastasii epitaphio verba ac sententias Frodoardum de more mutuatum esse patet, cum de hoc pontifice ita canit:

.... *quo* (Sergio III.) *rebus adempto*
Humanis, in Anastasium sacra concinit aula,
Tertius hoc praesul renitet qui nomine Romae,
Sedis apostolicae blando moderamine rector,
Sentiat ut Christum veniae sibi munere blandum. „

(1) Ita etiam Frodoardus in huius pontificis elogio ipsis fere epitaphii verbis:
„ Sergius inde redit, dudum qui lectus ad arcem
Culminis, exsilio tulerat rapiente repulsam:
Quo profugus latuit *septem volventibus annis.*
Hinc *populi* remeans *precibus sacratur* honore
Pridem adsignato, quo nomine tertius exit
Antistes: Petri eximia quo sede recepto
Praesule gaudet ovans annis septem amplius orbis.
Ipse favens cleri censura in culmine rapto
Falce ferit pervasores. „

(2) Ad annum Christi 701. num. x.

(3) Critica in annales Baronii, tom. III. pag. 796.

(4) Annali d' Italia, anno 911.

(5) „ *Sergius papa I. Hic sepultus est in ecclesia beati Petri inter portam argenteam, et portam ravinnianam.* „ Petrus Mallius cod. vat. 3627. fol. 11.

XXXIV. Marini papae II.

Marinus papa II., quem perperam nonnulli Martinum III. adpellant, ab anno 942. ad annum 946. sedit annos III., menses VI., dies XIII.

V. EPYT.

MENTE PIA VIVENS XPI NVTRITVS IN AVLA
ET SOLA GAVDENS SIMPLICITATE BONI.
BLANDVS IN OBSEQVIIS ET PVRO PLENVS AMORE
PACIFICAM VITAM IVRE QVIETIS AGENS.
QVI GRATVS POPVLIS ET CELSO DIGNVS HONORE
SVMPSISTI MERITIS PVRIFICALE DECVS.
COMMISSVMQ. TIBI PASCENS BONITATE MAGISTRA
SERVASTI CVNCTVM SVB PIETATE GREGEM.
PRO QVO RITE TVVM VENERANS AGAPETVS HONOREM
PRAESTITIT HAEC TVMVLO MVNERA GRATA TVO.
QVI NVNC ANTISTES ROMANA CELSVS IN ORBE (*sic*)
SEDIS APOSTOLICAE CVLMINA SACRA TENET.

Codicis palatini fol. 36. A. a, b. *Grut. pag. MCLXV. num. 8.*

In titulo, qui huic epigrammati in palatino codice praefigitur, nullum pontificis nomen adparet: verum cum ab *Agapeto* papa huiusmodi memoriam positam fuisse antecessori suo postremi versus declarent, palam est ad alium pontificem non posse elogium referri, quam ad *Marinum* papam *secundum*, cui anno 946. *Agapetus* iunior in pontificatu successit. Si cui enim Baronii et Papebrochii sententia potior videatur, qui epitaphium *Ioanni II.*, Agapeti *primi* antecessori, tribuerunt; meminerit is in palatino codice, ac penes Petrum Mallium aliud exstare pontificis illius epitaphium a nobis superius pagina 124. adlatum: unquo veri simile videri bina elogia Ioannis tumulo fuisse inscripta. Suspicati aliquando sumus ita simul ea coniungenda esse, ut unum ex illis fieret hunc in modum:

Ioannem tumulus vatem tegit, adstruat aetas
Optima coepta viri si foret et spatium.
Hic at in extremis sollers fidusque minister
Claruit, at primus iure levita fuit.
Missus ad imperium vice praesulis exstitit auctor;
Hunc memorant synodus pontificisque tomus.
Cum titulis fidei vigilantia quanta regendi!
Commissas animas ne lupus hostis oves
Carperet admixtus, promeritra potentior, unam
Iustitiam cunctos nisus habere param.
Providus, humanus, firmus verusque sacerdos
Nil temere atque nimis pondere cuncta gerens.
Mente pia vivens, Christi nutritus in aula,
Et sola gaudens simplicitate boni.
Blandus in obsequiis, at puro plenus amore
Pacificam vitam iure quietis agens.
Qui gratus populis et celso dignus honore
Sumpsisti meritis purificale decus.
Commissumque tibi pascens bonitate magistra
Servasti cunctum sub pietate gregem.
Pro quo rite tuum venerans Agapetus honorem
Praestitit haec tumulo munera grata tuo:
Qui nunc antistes romana celsus in urbe
Sedis apostolicae culmina sacra tenet.

Verum huic nostrae coniecturae aperte refragatur palatini codicis auctoritas, in quo utrumque epigramma seorsum, diversis in paginis, proprio unumquodque insignitum numero exstat. Quare Marini II. epitaphium a nobis habebitur, donec probabili aliquo argumento adducti aliter sentire cogamur.

XXXV. Ioannis papae XIV.

Ioannes papa XIV. ab anno 983. ad annum 984. sedit menses IX.

PRAESVLIS EXIMII REQVIESCVNT MEMBRA IOANNIS
QVI PETRVS ĀNA (*) ESTITERAT (*sic*) QVIPPE. (*) antea.
SEDEM PAPIAE BLANDO MODERAMINE REXIT
IMPERATOR (*sic*) HOTONI (*sic*) DVLCIS FVIT ATQVE PRAECLARVS.
COMMISSVM POPVLVM ROMANVM MORIBVS INSTRVENS.
DVLCIS IN ELOQVIO CVNCTIS PRAECLARVS AMICIS
SVBIECTIS PLACIDVS PAVPERIBVSQ. PIVS.

DEFVNCTVS Ē. IOANNES P̄P̄ ROMANVS M̄. AV̄G. D. X̄X̄.

Ex Petri Mallii opusculo. Codicis vaticani 3627. fol. 15.

Petrus episcopus papiensis, Othonis II. imperatoris archicancellarius, ad pontificatum evectus Ioannis XIV. nomen sumpsit: de tempore autem, quo id acciderit, non bene inter chronologos convenit. Muratorius enim (1) Benedictum VII. anno 983. obiisse contendit (2), eique in pontificatu Ioannem XIV. suffectum; Baronius vero ac Pagius Benedicti VII. obitum, et Ioannis electionem in insequentem annum reiiciunt. Muratorii opinionem confirmat potissimum vetus quaedam inscriptio, quae in ecclesia sanctorum Cosmae ac Damiani ad forum romanum etiamnunc exstat, et Ioannem XIV. iam inde a die XXII. mensis februarii anni 984. pontificia dignitate insignitum testatur: cuius marmoris, Ioanni ipsi coaevi, testimonium atque auctoritas quo pacto infirmari possit plane non videmus; praesertim cum et indictionis XII. notam chronologicam vulgaris aerae anno adiectam prae se ferat. Lubet heic inscriptionem infelicissimi illius aevi barbarie squalentem, a nobis ex lapide ipso exscriptam subiicere, quod a nemine hactenus ad marmoris fidem fuerit edita: (3)

✝ CONSTAT NIMIRVM DILECTISSIMI FRATRES . DE PROMISSIO QVE EX COR
DE FECIMVS CORAM DEO ET SANCTIS EIVS . VT VNVSQVISQVE NOSTRORVM FRATRES SACERDOTES ET
EPISCOPOS ET POSTERIS NOSTRIS SACERDOTES IM PERPETVVM : QVALISCVNQVE EX HAC LVCE
MIGRAVERIT . XL . MISSAS . PRO EIVS . ANIMA PER VNVMQVEMQVE SACERDOTVM QVI SVPSTITES SINT
CANERE PROMITTIMVS : SI TAMEN INFIRMITAS FVERIT OCCVPATVS NON REPVTETVR EI
IN PECCATVM : ET SI RECEPTVS FVERIT PRISTINAM SANITATEM HEC OMNIA QVOD SVPRA DICTVM
EST ADIMPLEAT . QVI VERO CVSTVS ET OBSERVATOR FVERIT : HABE
AT BENEDICTIONEM DEI PATRIS OMNIPOTENTIS ET FILII ET SPIRITVS SANCTI : ET CE
LESTEM REGNVM POSSIDEAT CVM OMNIBVS SANCTIS : ET QVI HOC NON OB
SERVAVERIT . SIT ANATHEMATIS VINCVLO INNODATVS ET A REGNO DEI
SEPARATVS . ISTA VERO PROMISSIO FACTA FVIT ANTE SACRVM SANCTVM
DOMINICVM ALTAREM HVIVS AVLAE . TĒMP . DŌM . IŌHI . XIIII . PP .
MENSE FĒB . DIE . XXII . INDIC . XII . ANNO DOM̄C : INCARNATI
ONIS : DCCCCLXXXIIII :

Ex marmorea tabula longa palmos VI., lata palmos III. cum quadrante, quae in ecclesia ss. Cosmae et Damiani parieti est adfixa.

Vigesima mensis augusti die Ioannem XIV. e vivis excessisse colligitur ex chronologica clausula epitaphio eius adscripta, quam Petrus Mallius refert. De quo frustra Muratorius dubitat, dum haec ad annum DCCCCLXXXIV. scribit. „ *Dall' epitaffio rapportato dal cardinal Baronio (se pure ricavato fu dal marmo, e non dai manoscritti) si raccoglie, che la sua morte avvenne nel dì 20. d'agosto. Ma se questo epitaffio era in san Pietro, chieggio io, perchè nol rapportasse Pietro Mallio, il quale tanti secoli prima raccolse le memorie della basilica vaticana, e nol conobbe punto, e nol riferì?* „ Atqui si Petri Mallii opusculum a Paulo de

(1) Annali d' Italia, anno 984.

(2) De Benedicti VII. die emortuali nulla est controversia, cum ex eius epitaphio, quod in sessoriana basilica superest, notum sit eum die X. iulii mensis vita functum.

(3) Tum haec, tum alia ipsi consimilis inscriptio a Turrigio refertur, quem operae pretium est consulere pag. 455. et seqq.

Angelis Romae anno 1646. editum ac notis inlustratum vir ille eruditissimus consuluisset, Ioannis XIV. epitaphium ibi pagina 114. offendisset: prout in vaticano etiam codice legitur. (1) Nam quod Petrus Mallius Ioannem hunc *decimum* adpellet, non autem *decimum quartum*, id nemini negotium facessere debet; cum ex ipsius epitaphii verbis evidentissime pateat, illud ad *decimum quartum* huius nominis pontificem omnino esse referendum.

XXXVI. Gregorii papae V.

Gregorius papa V. ab anno 996. ad annum 999. sedit annos II., menses VIII.

✝
GREGORIVS
PP.V.

In marmorea tabella pedalis circiter magnitudinis, quae tituli instar olim in sepulcro fuit.

✝ *HIC* Q̃ (*sic*) VEM CLAVDIT HVMVS. OCVLIS VVLTVQ; DECORVM.
✝ *PAP* A FVIT. QVINTVS NOMINE GREGORIVS.
✝ *A*NTE TAMEN BRVNO. FRANCORVM REGIA PROLES.
✝ *FI*ILIVS OTTONIS DE GENITRICE IVDITH.
✝ *LI*INGVA TEVTONICVS. VVANGIA DOCTVS IN VRBE.
✝ *SE*EO IVVENIS CATHEDRAM SEDIT APOSTOLICAM.
✝ *A*O BINOS ANNOS. ET MENSES CIRCITER OCTO.
✝ TER SENOS FEBRVO CONNVMERANTE DIES.
✝ PAVPERIBVS DIVES. PER SINGVLA SABBATA VESTES.
✝ DIVISIT NVMERO. CAVTVS APOSTOLICO.
✝ VSVS FRANCISCA VVLGARI ET VOCE LATINA.
✝ INSTITVIT POPVLOS ELOQVIO TRIPLICI.
✝ TERTIVS OTTO SIBI. PETRI COMMISIT OVILE.
✝ COGNATIS MANIBVS VNCTVS IN IMPERIVM.
✝ EXVIT ET POSTQVAM TERRENAE VINCVLA CARNIS
✝ AEQVIVOCI DEXTRO SVBSTITVIT LATERI.
DISCESSIT. XII KAL MART.

Ex marmorea tabula, quae supra pontificis ipsius sepulcrum in australi cryptarum navi muro est adfixa, longa palmos X. cum besse, lata palmos III. cum semisse.

Quo in loco sepultus fuerit in veteri basilica Gregorius papa V. ex his Petri Mallii verbis discimus. (2) „*Hic requiescit in ecclesia beati Petri ante secretarium iuxta Pelagium papam: cuius epitaphium est hoc*: etc." Sequitur in codice epitaphium, quod neque ad marmoris fidem, neque integrum ibi refertur: desinit namque in sexto disticho, omissis de industria reliquis versibus perinde ac ultima linea, in qua emortualis pontificis dies adnotatur: quod non semel a Petro Mallio, vel ab eius opusculi exscriptore factum supra animadvertimus. In septem prioribus epitaphii versibus eas ab initio litteras, quas diversa characterum forma impressas exhibemus, iactura lapidis antiquitus intercidisse manifestum est ex supplemento, quod XI. vel XII. saeculo marmoreae tabulae additum fuit; in quo deperdita epitaphii verba ita male ab oscitante artifice restituta fuerunt, ut supervacaneas litteras in voces FILIVS, LINGVA, SED induxerit.

Atque haec sunt romanorum pontificum in vaticano sepultorum epitaphia metrice scripta, quae hucusque partim ex palatino codice, atque ex Petri Mallii

(1) Cod. vat. 3627. fol. 15. „ *Ioannes X. papa. Hic requiescit ante ecclesiam iuxta Iohannem octavum. Cuius epitaphium est istud*:
Praesulis eximii requiescunt membra Ioannis etc. "
(2) Cod. vat. 3627. fol. 16.

opusculo, partim vero ex marmoribus ipsis innotuerunt. Quibus et Leonis papae *noni* epitaphium addere in animo erat, quem anno 1054. vita functum, atque in vaticana basilica humatum constat: cuius sepulcri locum ita Petrus Mallius designat: (1) „ *Hic requiescit infra ecclesiam beati Petri in pilo marmoreo, prope portam ravinnianam, de quo sunt apud nos multa, et magna miracula.* „ Epitaphium vero sepulcro adpositum Andreas presbyter ratisbonensis in chronico generali a Bernardo Pezio edito hunc in modum refert:

VICTRIX ROMA DOLE NONO VIDVATA LEONE
EX MVLTIS TALI NON HABITVRA PAREM.

Ex iis tamen, quae Wibertus tullensis ecclesiae archidiaconus in Leonis IX. vita scribit, videtur distichon ab Andrea presbytero relatum Leonis IX. sepulcro nequaquam fuisse inscriptum, sed ab anonymo quodam in sancti pontificis laudem compositum vulgi sermone passim celebratum fuisse: haec namque apud ipsum leguntur: (2) „ *Sicut ipse* (Leo videlicet IX.) *disposuerat, sepultus est iuxta beati pontificis Gregorii altare, ante fores ecclesiae. Et merito in decore sepulturae illi exstat coniunctus, quem in divina religione ac sanctae ecclesiae instauratione est fideliter imitatus: cuius vitam et sanctitatem quidam brevi disticho sic est prosecutus:*

VICTRIX ROMA DOLET NONO VIDVATA LEONE
EX MVLTIS TALEM VIX HABITVRA PATREM. „

Ne quis autem miretur, inter haec epitaphia nullam Gregorii III. mentionem a nobis factam; de cuius sepulcro haec Petrus Mallius habet. (3) „ *Hic itaque sanctissimus papa Gregorius III. requiescit in loco illo, ubi modo felicis memoriae beatus Eugenius III. papa requiescit; ubi etiam ad honorem eiusdem Gregorii fuit erectus arcus optimo mosibo depictus, et permansit ille arcus usque ad tempora domini Eugenii III. papae: de quo habemus in epitaphio eius hunc versum*

TERTIVS HIC PAPA GREGORIVS EST TVMVLATVS.

In quo etiam sepulchro desuper recondidimus venerabile corpus domini Eugenii III. papae octavo idus iulii: et fecimus ei sepulchrum ex diversis lapidibus. „ Si enim recte verba haec expendantur, nihil aliud per ea significari deprehendetur, nisi Gregorii III. monumentum ad Eugenii III. aetatem usque durasse; quo defuncto et una cum Gregorio III. in eodem sepulcro tumulato, novum desuper exstructum fuit *ex diversis lapidibus* monumentum Eugenii III., in cuius epitaphio Gregorii quoque III. cum Eugenio sepulti mentio facta est eo versiculo

TERTIVS HIC PAPA GREGORIVS EST TVMVLATVS.

(1) Cod. vat. 3627. fol. 13.

(2) Lib. II., cap. VII. §. 35., penes bollandianos, die XIX. mensis aprilis, pag. 665.

(3) Cod. vat. 3627. fol. 3. Et rursus fol. 12. „ *Gregorius papa III. Hic requiescit in illo loco, ubi dominus papa Eugenius III. requiescit.* „

INDEX

RERVM PRAECIPVARVM

QVAE IN HAC APPENDICE CONTINENTVR.

A.

B.

C.

D.

M.

N.

O.

P.

Q.

R.

S.

T.

CORRIGENDA

Pag. 9.	versu 22.	222.	221.
40.	8.	ultrum	utrum
57.	22.	et 226.	et 126. (edit. anni 1828.)
66.	16.	palmari	pedali
94.	nota 2. versu 8.	VERVMQVE	VERVMQ.
	— 9.	ACATHIVS	ACATIVS
100.	11.	*Verba* Bosius tradii, *quae heic praepostere operarum incuria leguntur, in versum sequentem transferenda sunt post vocem* fuisse.	
114.	35.	extitisse	exstitisse
126.		*Linearum* 14. *ac* 15. *situs ita invertendus est, ut prior in posterioris locum succedat.*	
133.	27.	QVISQVE LEGES	QVISQ. LEGAS

NIHIL OBSTAT.


FRANCISCVS FINVCCI CENSOR PHILOLOGVS.

IMPRIMATVR.

FR. DOMINICVS BVTTAONI O. P. S. P. A. MAG.

IMPRIMATVR.

A. PIATTI PATRIARCHA ANTIOCHENVS VICESGERENS.




Pal. 10 20 30 40 50 60 70 80 90 100 Rom.

Pal.


Ios. Marini archit.

Franc. Rinaldi sculp.

Append. Tav. II.



F. Renaldi del et sculp



Ios. Marini Arch. delin.   F. Rinaldi sculp.

ABCD Ichnographia sacrae confessionis   BPQC Scenographia

Append. Tab. IV.






F. Rinaldi delin. et scul.

1




2






IN NOIE SCÆ ET NDIVIDVÆ TRINITATIS ANNO AB INCARNATIONE DOMINI
NRI IHV XPI MCIIX V DIE KŁ DCEBRIS IND X TEMPORE DOMINI GG VIII PP
IN LATERAN PALATIO N CAPELLA SCÆ CRVCIS N PSENTIA CENCII FRANGIPANE
GRATIANI CENCII FRANCVLNI ET ALBERICI DE PETROLEONE ET BENINCASA
FRATRIS EIVS VBERTI DTASCA ET ALORVM PLVRIVM EGO MATHILDIS DEI GRATIA
COMITISSA P REMEDIO AIÆ MEÆ ET PARENTVM MEOR DDET OBTVLI ECCLE SCI
PETRI P NTERVENTV MDNI GG PP OMNIA BONA MEA IVRE PROPRIETARIO TAM QVÆ
TVNC HABVERAM QVAM EA QVÆ N ANTEA ACQVISITVRA ERAM SIVE IVRE SVCCES
SIONIS SIVE ALIOQVOCVQ IVRE AD ME PERTINENT ET TAM EA QVÆ EXHAC PARTE
MONTIVM HABEBAM QVAM ILLA QVÆ N VLTRAMONTANIS PARTIBVS AD ME PERTINERE
VIDEBANTVR OIA SICVT DICTV E P MANV DNI GG VIII PP ROMANÆ ECCLIE DD ET TRADD
ET CARTVLAM INDE FIERI ROGAVI SED QA CARTVLA NVSQVAM APPARET E I TIMEO
NE DONATIO ET OBLATIO MEA N DVBIV REVOCETVR IDEO EGO QVAE SVPRA
COMITISSA MATHILDA I ERVA PSENTI DEDO N OET OFFERO EIDEM ROMANE ECCLIE
P MANV BERNARDI CARDINAL ET LEGATI EIVS D ROMANA ECCLESIC T N ILLO T PREDD
P MANV DNI GG OMNIA BONA MEA TAQVÆ NC HABEO QVAQVÆ N POSTERVM DO PPITIO
ACQVISITVRA SVM ET TAEAQVÆ EXHAC PARTE MONTIVM QVAM N VLTRAMONTANIS

₽. ⊢+++++++++++ ——— ——— + ——— ——— + ——— ——— ⊣ f



SEPVLC BENEFI
TORVM MCCCCXCII


ITINPACETITIANVS VSQVIVIXITANNVS
QVIESTDEPOSITVS IIINONAS
CONS





+ INOIE·DNI·AME·ANNO
DNI·OL·CCC·XXVII
hOC·OPV·FECERV
FIERI·LELLV·MIL
ET·PETRV·DNO







F. Rinaldi delin. et sculp.

Append. Tab XI.







S. Rinaldi del. et sculp.



1
P. 2
3
2
4
P. 2


DIVA
ANN
GER
BART
PRIO


SCIREVOLENSCVRTRISTEGENVSMORTALEREPENTE
QVISQVISADHAECPROPERASEOISPARTIBVSAVLAE
TEMPLAVELOCCIDVISPOLLENSAVSTROQVEBEATAE
AXEVELAGELIDOCARMENSCRVTAREMEMENTO
CONDITVRHOCANTROSACRISVBSTANTIACARNIS
PRAESVLISEGREGIINICOLAIDOGMATESANCTO
QVIFVLSITCVNCTISMVNDVMREPLEVITETORBEM
INTACTISNITVITMEMBRISCASTOQVEPVDORE
QVAEDOCVITVERBISACTVQVEPEREGITOPIMO
SYDEREAEPLENVSMANSITDOCTVSQVESOPHIAE
CAELORVMCLARISQVEMSERVANTREGNATRIVMPHIS
VTVERNETSOLIISPROCERVMPERSAECVLAVATVM




T. Rinaldi delin et sculp.





ARPIO
BATE
QVIBI
DEPO
VSTITIAEMV
XILIVMREC
SANCTA
OFFICIIS
DEVTERIA
DE
ET
IMDI
TEM
LAV
IAPAV LAINL
MDECEMBAETT
AGNOSG
RIMOVA
AEDEC
ERQVEMFA
VNDIMEN
TRANSLAT
ISTOSOC
NOIN
OVE



TVSCENIO
COS
FLAM
FLAVIA
T F
VENVSTAE



a
b
ANVS
CASTORIS DECVRIO
INIANAE
PHOR·FABER·ARG
RTVMNVM
XIT·CVM·SVIS
EROS·F


f
a
b
c
d
e
FAVSTVS
CN LLIVS · FLACCVS
C MPACTVMEIVS SYNTROPHVS
R IMP NERVA TRAIANO CA
ESARE AVG GER III SEX IVLIO
FRONTINO III COS MAGISTRI
ANNI CVII
MOPTIC VS HELPISTVS
AGATHOPVS
HERMES
HERMOLAVS
TRVSTIOCAEPI
LXXX
LIX
ANVS
VS
VS
MACI
ANNI
D MVNDICIVS D L POTITVS
TI CLAVDIVS TI L ZOSIMVS
C VMMIDIVS C L FORTVNATVS
M PAPINIVS M L MENODORVS



1
LAVTRON
FVFICI
FVFICIO
FVFICIA
2
NIAE
LINA
AEVO
MINI·N
ANTON
NI PIT
3
S EM
S FLA
S CALLIM
S ZOTICU
S EUTYCHE
S EVANGEL
S OLYMPICU
IUS EPICTETU
S MATERNU
TIIIUS EUTYCHE
4
VRNO
VI O
5
ARIB
AVG
SACR

Append. Tab. XXII






HICLEOR EQ UIESCETOMNIV
BONORVMCONSILIATORQ AN
TATIANOETSYMMACHO CONSS
ETEIVSAIEXAND
ASINIUISI
IAN
O CAEA
BALERIA·LATOBIA·OF·QVE VIX ANN
VSXLIIM IIID XV FVIT BEDVA
ANNVS XIID EPOSITA·IIII·IDVS
SEPTER
PACE

XXIV




1
VSTILASPF
IBINOVCCOI
TAMSSD OM
VIT
IN PLMXLVIIIDIESXX
2
PRE
XLD
FEB
RIDIE
VINANT
VVC
3
L AIFC
QDOM
4
O QVID
I N PACE
P T
T SYAGRI
5
IPOSTVLAV
IVSOBITVSIN
ADVENERIT
LOCOHV
DOMNI
6
MISPARCENS
LIBENSCV
LACET
STHACMIH
QVE O


RELIITABE
ΛLCSTVS
TOIIICONS
PO
FILI
ΛPONP LIF·QVE
✠ HICREQVIESCITINPACEIOHANNISVH
OLOGRAFVSPROPINEISIDORIQVIVIX
ANNSPLVSMXLVDEPXKALENSIVNIA
CONSVLATVVILISARIVC
D·O·M·
IOANI·GVIDETTO
HVIVS·BASILICA
CLERICO·BENEFIC
GREGORII·XIII·CA
PELLANO·VIRO·PR
OBO·PRINCIP·CAR
MATHEVS·GVIDET
FRA·BENEMERIT·MŒ
STISI·P·C·
VIXIT·ANN·LX·OB
IIT·PRI·DECEMBRI
M·D·LXXXXII



SVBIACETHIC VERVS QVI SEM VERALOCVTVS
POSTMORTEM MERVI PETRILIMINA
SANCTAIACERE OSSATE ET TVMVLVS
MENSESTIN HORECEPTA HVIVSVITABONA EQVIRVNT DVLCESAN
HOSQVINTILLATIBIDICTABIT VERSV MATRIX
QVAEPOSTMORTE TVAVOLVIMEFERRONECARE
SEDDOMINIPRAECEPTATIMENS CASTAMEINFVTVRO PROMITTO
QVINQVAGINTAETSEX ... SDVXITPERSECVLAMES


Append. Tab. XXVIII.





† SVSCIPE TERRA TVO CORPVS DE CORPORE SVMPTVM
REDDERE QVOD VALEAS VIVIFICANTE DEO
SPIRITVS ASTRA PETIT LETI NIL IVRA NOCEBVNT
CVI VITAE ALTERIVS MORS MAGIS IPSA VIA EST
PONTIFICIS SVMMI HOC CLAVDVNTVR MEMBRA SEPVLCHRO
QVI INNVMERIS SEMPER VIVIT VBIQVE BONIS
ESVRIEM DAPIBVS SVPERAVIT FRIGORA VESTE
ATQVE ANIMAS MONITIS TEXIT AB HOSTE SACRIS
IMPLEBATQVE ACTV QVICQVID SERMONE DOCEBAT
ESSET VT EXEMPLVM MYSTICA VERBA LOQVENS
AD CHRISTVM ANGLOS CONVERTIT PIETATE MAGISTRA
ADQVIRENS FIDEI AGMINA GENTE NOVA
HIC LABOR HOC STVDIVM HAEC TIBI CVRA HOC PASTOR AGEBAS
VT DOMINO OFFERRES PLVRIMA LVCRA GREGIS
HISQVE DEI CONSVL FACTVS LAETARE TRIVMPHIS
NAM MERCEDEM OPERVM IAM SINE FINE TENES
HIC REQVIESCIT GREGORIVS·I·PP·QVI SEDIT ANNOS XIII MENSES VI DIES X DEPOSITVS IIII IDVS MAR


P. 6



D·M·S·
SEBASTIANO·AGVCIO·BONO
NIENSI·FIDEI·INGENI·
CANDORIS·ERGO IVLIO·
II·PONTIF·MAXIMO·GRA
TISS·BARTOLOMEVS NEPOS
MOESTISS·POS·ABI·VIATOR
SAT·OCVLIS·DEBES
VIS·AN·IXV·
MEN·VI·
D·VIII·
BENEMERENTI IN PACE PROCLO QVI BIXIT
ANNVS XVI DEPOSITVS VI IDVS OCTOBRIS
DD NN HONORIO AVGVSTO VIII ET THEODOSIO V CCSS


D O M
ARMA·THOLO EMERITVS·FIGIT·VITTRICIA MILES
QVOD·TITVLI·ET·FIDEI·SINT·MONVMENTA·SVAE
BIS·SEX·LVSTRA·DEO·FAMVLATVS·CLAVIGER·OSSA
CONDIDIT·HIC·SANCTVS·FESSA·DICATA·TIBI·
SANCTVS·ROMANVS·PATRIA·PAZILLVS·SOBOLE
PER·ANNOS·LX·IN·PRINCIPIS·APOSTOLORVM
BASILICA·SACRIS·OPERATVS·VIVENS·SIBI·HOC
SEPVCHRVM·POSVIT·QVI·V·AN


IMNE
I·KAL·I ENV·A
E V DE·VI
ACE


EETINOMIN
ADMIRABILICC
FC MF VALERIVS
FECIT VIDVS IVL
CLEARCO



+ QVAE MIHI COMPOSVIT MORTALIS PONDERA CARNIS
HADRIANVS PRAESVL HIC SVA MATER HABET
IN CINERES MERSIT QVICQVID DE PVLVERE SVMPSIT
ATQ ANIMA CAELO REDDIDIT OSSA Q HVMO
PRVDENS ET PLACIDVS FVERAT SVPERAETHERIS OPTAS
PAVPERIBVS LARGVS DIVITIBVS QVE PIVS
OMNIBVS ET MEDIVS NVLLIS NISI CARVS HABENDVS
ACTIBVS EGREGIVS RECTVS ET ELOQVIO
COMPATIENS LACRIMIS ALIORVM CORDE BENIGNO
DIVINIS MONITIS NEC FVIT ILLE PIGER
PRO QVO IVRE DEVM PRECIBVS VOTIS QVE ROGEMVS
VT SIT CVM SANCTIS CAELICA REGNA TENENS
QVI LEGIS HOS VERSVS COMMVNCTO DILECTO CORDE CVM CHRISTO REGNES O HADRIANE DEO



LONGINIANVS·V·C·PR·VRB ET ANASTASIA C F EIVS
CONIVX·PAVIMENTVM BASILICAE APOSTOLI PETRI
ET·PARIETES ITEM COELVM
FONTISQVEM·OLIM·DAMASVS VIR SANCTVS IN
EA·EXSTRVXIT·SVMPTV PROPRIO MARMORVM
SPLENDORE DECORARVNT

1




2





EPELIRIER ISTO
T P F Q IMI
SACERDOS·
KL NOV·


Append. Tab. XXXVI




1




2




P. ——————— 4



1
2
3
4
5
6
4


IOHANNI · PODII · EPO BO
NONIESI · IVR · CONS · DOCTISS · ET SANCTISS · NICOLAVS · V · POT
MAX · SACRVM · FIERI · IVSIT ·

Append. Tab. XL.







F. Rinaldi del. et scul.

